MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80190-8

AUTHOR:

ALBRACHT, FRANCISCUS

TITLE:

DE THEMISTOCLIS PLUTARCHEI FONTIBUS

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1873

Master Negative #

91- 80190-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Albracht, Franciscus,
De Themistoclis Plutarchei fontibus. Dissertatio inauguralis quam... scripsit Franciscus Albracht.. Gottingae, typis expressit officina Academica Dieterichiana, 1873.
78 p. 21 cm.

Thesis, Göttingen

Volume of pamphlets

4894

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE THEMISTOCLIS PLUTARCHEI FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRANCISCUS ALBRACHT

WALDECCENSIS.

GOTTINGAE MDCCCLXXIII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

HERMANNO SAUPPIO

CURTIO WACHSMUTH

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

De Themistoclis Plutarchei fontibus scripturo mihi non venia petenda erit incepti, quia, quanti momenti sit quaestio eiusmodi recte instituta cum ad cognoscendam et plane intelligendam scriptoris ipsius indolem, tum ad iudicii de illius temporis historia ferendi prudentiam et securitatem, ante me homines multi atque doctissimi, cum Plutarchi fontibus indagandis operam darent, dissertationibus accuratissime scriptis satis demonstraverunt et probaverunt. Quae quaestiones cum initio ita fere instituerentur, ut in universum nomina eorum quos testes Plutarchus ipse commemoraret, comprehenderentur [1]), Sauppius [2]) nuper monuit, ita solum re vera operae fructum effici posse, ut acriter et acute dissolvenda *singularum* vitarum narratione, quantum fieri posset primum cognosceretur ex quonam auctore primario Plutarchus corpus quasi narrationis contexuerit, deinde unde reliqua ad splendorem eius ac venustatem augendam, hic illic inserta, fluxerint. Itaque his postremis annis singularum vitarum fontibus eruendis, de Plutarchi auctoritate et genere scribendi accuratius cognoscendis bene meruerunt homines doctissimi Rühl, Stedefeldt, Prinz, Peter, Fricke, Flügel [3]); neque minoris momenti sunt

1) Heeren, de fontibus et auct. vitt. parall. Plutarchi commentt. IV. Gott. 1820. — Haug, die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschreibungen der Griechen. Tübingen 1854.

2) Die Quellen Plut. für das Leben des Pericles. Gött. 1867. p. 6

3) Rühl, die Quellen Plutarchs im Leben des Kimon. diss. Marburg 1867. — idem in Jahnii ann. 1868 p. 657 seq., die Quellen Plut. im Leben des Pericles. — Stedefeldt, de Lysandri Plutarchei fontibus. diss. Bonnae 1867. — Prinz, de

eis qui de illius temporis fontibus quaerere volunt, quae Stelkens de Ephori, Volquardsen, Collmann [1]) de Diodori Siculi fontibus certis fundamentis iactis disputaverunt.

Quare cum, qui Themistoclis Plutarchei fontes recte cognoverit, haud spernenda mihi videatur addere ad iudicium de Plutarchi auctoritate firmandum et amplificandum, opus aggressus sum non quo putarem, me hanc quaestionem omni ex parte ad certum finem perducturum esse, sed quia res ipsa inter comparandum et tractandum magis magisque me alliciebat. Nam ne quis supervacaneum putet hanc quaestionem retractare, quia Schilderus [2]) et nuperrime Wolffius [3]) de eadem re scripserunt, ille id solum egit, ut scriptores a Plutarcho ipso commemoratos enumeraret; Wolffium vero, qui brevius quam par erat rem tractavit, tantum abest, ut recte fontes Plutarchi indagasse putem, ut nullo fere loco cum eo consentiam. Neque enim puto quaestionem illam ita institui posse, ut Plutarchum cum solis Herodoto et Thucydide comparemus, Diodorum vero, Nepotem, Iustinum missos faciamus, neque ullo pacto ei concedo, quod p. 13 dicit: „Plutarchum in vita Themistoclis conscribenda multa ex Herodoti et Thucydidis libris ad suum fructum attulisse nemo negat.“ Rectissime contra probasse mihi videtur Collmanni exemplum secutus, Diodorum Siculum in libro XI bibliothecae non Thucydide sed Ephoro usum esse; vellem modo in Herodotum quoque accuratius inquisivisset. Quamvis enim verisimile sit, Diodorum priorem quoque libri illius partem ex eodem Ephoro, non ex Herodoto hausisse, tamen non sufficit ad hanc rem probandam quatuor locos attulisse, qui ne multum quidem valent, quia duobus eorum de numerorum solum discrepantia agitur; quae cum facile librariorum negligentiae tribui possit, inde colligi non potest, Diodorum Herodoti libris *non* usum esse. Itaque de hac re, quamquam Volquardsenius (l. l. p. 30 sq.) quoque alia nonnulla adscripsit exempla, pauca in dissertatione erunt addenda. Neque enim hoc parvi pretii est; nam si pro certo enucleari potest Diodorum in libro XI conscribendo solo Ephoro usum esse, certum inde lucramur argumentum, quo nisi cum maiore veri specie quaestionem de Plutarchi fontibus instituere possumus.

Quodsi solum comparatione ceterorum scriptorum quaestiones de fontibus cuiusvis institutas aliquo modo perfici et absolvi posse, iam pridem ab omnibus acceptum est, nobis in collationem convertendi sunt: Herodotus, Thucydides, Diodorus, Iustinus, Nepos, quae ceterorum historicorum fragmenta servata sunt. Neque minoris aestimandus est libellus ille, *περὶ Ἡροδότου κακοηθείας* inscriptus, cuius scriptor utut de nomine eius dubitatur, (quamquam mihi quidem rectissime Lahmeyerus [1]) Plutarchi auctoritati eum tribuisse videtur) optimis passim nititur fontibus atque adeo permultis locis cum Diodoro et Plutarcho consentit, ut solum de communi fonte eorum cogitari possit.

Haec praemittenda esse mihi videbantur; itaque nunc ad rem ipsam accedamus. Atque primis quidem sex capitibus Plutarchus accuratius persecutus est Themistoclis pueritiam et iuventutem; ita vero hanc narrationem

---

Solonis Plutarchei fontibus. diss. Bonnae 1867. — Peter, in N. Mus. Rhen. 1867 p. 62 sq. der historische Werth von Plut. Biographie des Lykurg. — Fricke, Untersuchungen über die Quellen des Plut. im Nikias und Alkibiades. Leipzig 1869. — Flügel, die Quellen Plut. im Lykurgos. diss. Marburg 1870.

1) Stelkens, de Ephori fide et auctoritate diss. Monast. 1857.— Volquardsen, Untersuchungen über die Quellen der Griechischen und Sicilischen Geschichte bei Diodor, Buch XI bis XVI. Kiel 1868. — Collmann, de Diodori Siculi fontibus. diss. Marb. 1869 cap. I.

2) Schilder, de rerum scriptoribus, quibus Plut. in vita Themistoclis scribenda usus sit. Progr. Leobschütz. 1850.

3) Wolff, de vita Themistoclis. diss. Monast. 1870. pars prior.

1) G. Lahmeyer, comm. de libelli Plutarchi, qui de malignitate Herodoti inscribitur, et auctoritate et auctore. Gott. 1848.

instituit, ut primo fere obtutu suturas diversorum fontium perspicere possis. Nam quae in capite I narrat p. 219 v. 10—20 [1]), cum eis quae sequuntur nullo modo cohaerent, neque, quae scripsit inde a verbis *καίτοι Στησίμβροτος* (cap. II v. 14 p. 226), qua ratione ad ea quae proxime praecedunt, referantur intelligitur. Deinde v. 28 (p. 220) cum ad primam Themistoclis iuventutem narrandam reversus dicit: *ἐν δὲ ταῖς πρώταις τῆς νεότητος ὁρμαῖς ἀνώμαλος ἦν . . . ἅτε τῇ φύσει χρώμενος ἄνευ λόγου καὶ παιδείας* ipse secum pugnat, quod supra (v. 14 seq.) exposuit, Anaxagora et Melisso vel Mnesiphilo eum usum esse praeceptoribus; neque magis sibi constat quod duobus aliis locis (in cap. III v. 1 p. 222: *ὥστε νέος ὢν ἔτι τῆς ἐν Μαραθῶνι μάχης*, et in cap. V v. 23 p. 223: *ὥστ᾽ ἔτι μὲν νέος ὢν καὶ ἀφανὴς*) a iuventute eius exordium narrationis sumit; ita ut sine iudicio atque certo ordine haec omnia scripta esse appareat. Accedit quod ne in iudicio quidem de Themistocle ferendo ullo modo sibi consentaneus est, sed, quae et summa laude et omni vituperatione digna sunt, paucis interiectis de eodem homine profert. Vide modo quod ipse dicit in cap. II v. 7 p. 221: *καὶ τοὐναντίον εἰσὶν οἱ λέγοντες, ὅτι κ. τ. λ.* et in cap. V. v. 17 p. 223: *οἱ δὲ τοὐναντίον γλισχρότητα πολλήν κ. τ. λ.* Quae deinde inde a verbis: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πέρας ᾤοντο* (exeunte cap. III) usque ad finem capitis exhibet Plutarchus, bene inter se cohaerent atque ex bono fonte hausta se praebent, a quo paullo post eum aberrasse (in cap. V) ne obiter quidem legentem fugit; idem denique valet de postremis capitis V verbis: *αὐξόμενος δὲ καὶ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκων κ. τ. λ.*, quae quomodo ad ea quae praecedunt pertineant, nemo profecto videt, cum quae capite VI narrantur bene consociata sint. Multa igitur et inter se diversa a Plutarcho sex illis capitibus memoriae tradun-

---

1) In afferendis paginarum et versuum numeris uti liceat editione Sintenisiana minore, quae typis expressa est Lipsiae 1869.

tur, quae apud unum scriptorem collata eum invenisse, nemo putabit; sumamus potius necesse est, Plutarchum complures deinceps scriptores evolvisse atque ex eis narratiunculas istas compilasse. Qui quidem illi fuerint, nunc, tanto temporis spatio interiecto, de omnibus ut certo statuamus neque fieri potest, neque magni omnino pretii est, nonnullis tamen locis certa vestigia auctorum eius perscrutari posse mihi videor.

Quo ante omnia pertinent quae Plutarchus initio cap. III: *καίτοι δοκεῖ παντάπασιν κ. τ. λ.* (v. 19. p. 221) et exeunte cap. III inde a verbis *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι* (v. 7. p. 222) usque ad finem cap. IV narrat, auctoritate Themistoclis factum esse ut classis Atheniensium aedificaretur, reipublicae gubernandae ratione ut potestas eorum stabiliretur, prudentia ac consilio ut Graecia a Persarum iugo servaretur. Versibus enim illis partem peculiarem et in se conclusam effici, legentem neminem fugiet neque longa expositione probare opus erit. Iam si ad eruendum huius narrationis fontem reliquos comparamus, qui de eadem re scripserunt, Herodotum, Thucydidem, Iustinum, Nepotem, Herodotus quidem Plutarchi auctor fuisse nequit, quippe qui, quamquam in universum congruenter narrat, Themistoclem populo persuasisse ut distributione metallorum Laureaticorum intermissa pecunia ista classem aedificaret, tamen multo brevior sit, neque quidquam eorum commemoraverit quae apud Plutarchum subsequuntur, utrum reipublicae saluti an perniciei factum sit, ut Themistocles Athenienses ex hoplitis fecerit nautas, et reipublicae pondus ac momentum e terra in mare transtulerit. Neque magis ille dixit, Themistoclem haec egisse, quia tunc ipsum animo praevidisset, bellum cum Persis renovatum iri. (Plut. cap. III, s. fin.) — Multo brevior quam Plutarchi Thucydidis quoque narratio comparata est; tamen, quamquam tantum abest, ut pro Plutarchi auctore eum habeam, ut nullo loco huius vitae libros eius a Plutarcho esse evolutos contendam, quae de hac re apud eum exstant,

etiam apud Plutarchum leguntur, ut certissime inde appareat, Plutarchi auctorem Thucydidem optime cognitum habuisse. Confer modo Thucydidis verba (I, 14): *Ἀθηναίους Θεμιστοκλῆς ἔπεισεν Αἰγινήτας πολεμοῦντας, καὶ ἅμα τοῦ βαρβάρου προςδοκίμου ὄντος, τὰς ναῦς ποιήσασθαι, αἷσπερ καὶ ἐναυμάχησαν,* cum Plutarcho c. fin. cap. III: *Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι κ. τ. λ.* v. infra et cap. IV (v. 24 p. 224) *Ἑκατὸν ἐποιήθησαν . . . τριήρεις, αἷ καὶ πρὸς Ξέρξην ἐναυμάχησαν;* deinde Thucydidem dicentem (I, 73. s. finem): *τεκμήριον δὲ μέγιστον αὐτὸς ἐποίησε· νικηθεὶς γὰρ ταῖς ναυσὶν ὡς οὐκέτι αὐτῷ ὁμοίας οὔσης τῆς δυνάμεως κατὰ τάχος τῷ πλέονι τοῦ στρατοῦ ἀνεχώρησεν*“ cum Plut. exeunt. cap. IV: *τά τ' ἄλλα καὶ Ξέρξης αὐτὸς ἐμαρτύρησε. τῆς γὰρ πεζικῆς δυνάμεως ἀθραύστου διαμενούσης ἔφυγε μετὰ τὴν τῶν νεῶν ἧτταν, ὡς οὐκ ὢν ἀξιόμαχος κ. τ. λ.*

Apud Iustinum contra et Nepotem satis multa inveniri mihi videntur vestigia, ut ad eundem cum Plutarcho auctorem eos referendos esse putem. Nam quae sub finem capitis III Plutarchus dicit: *Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πέρας ᾤοντο τοῦ πολέμου τὴν ἐν Μαραθῶνι τῶν βαρβάρων ἧτταν εἶναι, Θεμιστοκλῆς δὲ ἀρχὴν μειζόνων ἀγώνων, ἐφ' οὓς ἑαυτὸν . . ἤλειφε κ.τ λ.* eisdem fere verbis apud Iustin. II, 12, 12 leges: „Namque Athenienses post pugnam Marathoniam, praemonente Themistocle, victoriam illam de Persis non finem sed causam majoris belli fore, CC naves, fabricaverant“; neque minus Nepos eadem in fonte suo invenisse putandus est qui dicit cap. II, 1: „ad quod gerendum praetor a populo factus non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem.“ Deinde conferas Nepotis verba (II, 3): „In quo cum divitiis ornavit tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses“, cum Plutarchi (cap. IV v. 26 seq.): *ἐκ δὲ τούτου κατὰ μικρὸν ὑπάγων καὶ καταβιβάζων τὴν πόλιν πρὸς τὴν θάλασσαν . . . . ναυβάτας καὶ θαλασσίους ἐποίησε,* et Nepotis (II, 4): „Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico“ seq. cum Plut.

(c. IV, v. 6, p. 223): *ὅτι δὲ ἡ τότε σωτηρία τοῖς Ἕλλησιν ἐκ τῆς θαλάττης ὑπῆρξε καὶ τὴν Ἀθηναίων πόλιν αὖθις ἀνέστησαν αἱ τριήρεις ἐκεῖναι, τά τ' ἄλλα Ξέρξης αὐτὸς ἐμαρτύρησεν.* Neque illud denique parvi momenti est, quod Plutarchus his quae de classe aedificata attulit proxime addit, Xerxem pugna navali ad Salaminem facta esse victum, quamquam in capite VII iterum ab adventu Persarum orsus res Themistocle duce a Graecis gestas enarrat. Idem enim de Iustini et Nepotis narrationibus valet, quorum hic in ipso capite II addit, Athenienses urbem reliquisse ut muris ligneis se defenderent, et cap. III. demum proelia ad Thermopylas et Artemisium commissa exponit; alter vero II, 12, 16 eisdem paene ac Nepos usus verbis expositioni quam fecit de classe aedificata statim subiicit Athenienses armatos in naves conscendisse, pugnas autem illas *antequam* classem aedificatam esse dixit, describit (I, 10, 13 seq.) — Itaque mihi errare non videor si et Plutarcho et Nepoti et Iustino communem fuisse fontem statuo, qui rebus ad Thermopylas et Artemisium gestis silentio praetermissis, narrationi classis aedificatae descriptionem pugnae Salaminiae proxime subiunxerit. Nepotis enim verba, ut hoc addam, quibus ineunte capite III transit ad certamen Thermopylense narrandum: „Huius consilium plerisque civitatibus displicebat et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida seq.“ tam falso et perverse dicta sunt, ut plane eluceat, in uno fonte eum rem ita descriptam non invenisse, sed duorum narrationes negligenter et inepte capitibus II et III consuisse [1]).

Si vero quaerimus, quinam fuerit auctor ille communis, mihi quidem dubium esse non videtur, cum de Herodoto aut Thucydide cogitari nequeat, neque cum maiore veri specie de Ephoro, ut quem Plutarchus in

1) Singula cum accuratissime a Nippperdeyo in ed. mai. p. 21 commemorata sint, hic repetere supervacaneum est.

altera eiusdem pugnae Salaminiae narratione (cap. VII seq.), et Iustinus vel Trogus Pompeius in exponendis certaminibus ad Thermopylas pugnatis secuti sint, (de qua re postea nonnulla sunt addenda) quin *Theopompi* aliquam digressionem e Philippicorum eius libro X desumptam ante oculos illi habuerint. Atque favet quidem huic sententiae, et quod Diodorus, qui in libro XI meram Ephori narrationem nobis servavit, hoc loco, (cap. 1—15) uti debebat, classis aedificatae mentionem non fecit, sed postea demum (XI, 43 sub anno ol. 75, 4) [1]), Ephorum secutus aliter hanc rem descripsit, et quod Plutarchus cap. XIX iterum de Themistoclis rei publicae gerendae via ac ratione fusius disputat, ita vero, ut utroque loco eum ex Ephoro hausisse cogitari nequeat. Neque denique iudicium ipsum, quod in hoc capite de Themistoclis consilio fertur, a Theopompo alienum est quem constat Lacedaemoniorum institutis vel maxime favisse, demagogorum autem factionibus infensissimum fuisse et severe castigasse perversitatem consiliorum eorum. Itaque ei quidem dubium videri potuit, num re vera Themistocles navibus aedificandis et mutanda, quae usque ad tempora eius fuerat, vitae publicae et privatae simplicitate reipublicae saluti fuerit an perniciei [2]), non usque eo autem malevolentiae progredi potuit, ut non concederet, illo quidem tempore classem fuisse causam servatae Graeciae; neque omnino putandum est, ita eum fuisse malevolum atque rerum omnium obtrectatorem, uti veteres scriptores atque omnium maxime Polybius [3]) voluerunt. Quibus ne nimiam habeamus fidem, iustissimum de eo tulit iudicium Boeckhius [4]), quocum

1) cfr. Boeckh, Abh. d. K. Ak. d. W. zu Berlin 1815 p. 117. — idem, Staatshaush. d. A. I p. 351. Curtius, h. g. II, 729, 15.
2) cfr. Welckerum in Mus. Rhen. V. p. 218 seq.
3) Pol. VIII, 13. — De quo Polybii loco quid iudicandum sit, retissime vidit Müller, frgm. hist. G. I p. LXIX.
4) Boeckh, Staatsh. d. A. I, 316.

consentire malo, quam cum Riesio, qui nuper [1]), omni ex parte aequissimum Theopompum fuisse rerum scriptorem, qui alienus ab omni malevolentia sine ira et studio scripsisset, probare studuit. — At Plusarchus ipse Platonem auctorem nominat (v. 31 p. 222), et verba eius bene congruunt cum Platonis quae leguntur in legg. IV p. 706, b. Concedo; sed id ipsum ad Theopompi auctoritatem nos ducit. Plutarchus enim, utut Platonem magni aestimasse putandus est, tamen in vitis scribendis auctore eo uti non poterat, neque ad unum dictum afferendum eum libros eius evolvisse verisimile est; Theopompum contra, Platonis opus bene cognitum habuisse, „quo nullum facile exstat veteris alicuius opus, cuius fides et auctoritas tam multis gravibusque antiquitatis testimoniis confirmata habeatur“ [2]) cum per se satis credibile est, tum certis argumentis probatur, quod in fragmentis 279, 280, 281 [3]) Theopompus ipse philosophum illum nominat, et ab Athenaeo [4]) „*κατὰ Πλάτωνος διατριβή*“ eius commemoratur. [5]) His igitur de causis, Theopompum et Plutarchi et Nepotis et Iustini auctorem fuisse, statuere posse mihi visus sum. Plura vero eorum quae sex primis capitibus continentur ex eo fluxisse, vix quisquam putabit, quare nunc ad cap. VI transeamus, quod cum non minore fortasse probabilitate suo auctori ascribi potest.

Totum enim illud caput uni fonti deberi, Plutarchi ipsíus verbis satis probatur, quia arctissime singulae narratiunculae se excipiunt; v. 23 enim dicit *ἐκστῆναι τῆς στραιηγίας λέγουσι*, deinde v. 30 *Ἐπαινεῖται δὲ αὐτοῦ καὶ τὸ περὶ ιὸν δίγλωτιον ἔργον*, tum v. 2 (p. 225) *Ἔτι δὲ καὶ τὸ περὶ Ἄρθμιον*, v. 5 denique: *Μέγιστον*

1) Riese, in Fleckeisen. annal. 1870 p. 776 seq.
2) Stallbaum, prolegg. ad Platonis legg. p. XXXVII.
3) Müller, fragmenta h. G. I, p. 326.
4) Athen. XI. p. 508.
5) cfr. Müller, f. h. G. I, p. LXXIII.

δὲ πάντων τὸ καταλῦσαι κ. τ. λ. Videntur autem haec omnia certo consilio composita esse a Plutarchi auctore, qui, cum benevole de Themistocle iudicaret, eum optime de tota Graecia meruisse demonstrare voluerit. Cuius nomen si quaerimus, ad duas res maxime animus advertendus est. Primum enim certo anno res illae a Themistocle gestae tribuuntur, (*ἤδη δὲ τοῦ Μήδου καταβαίνοντος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα κ. τ. λ.*) quod cum in ceteris eiusmodi narratiunculis fieri non soleat, hae quidem fluxisse videntur ex scriptore qui annalium ritu servata annorum serie res composuerit. Deinde vero auctorem illum Plutarchi diutius in urbe Athenarum versatum fuisse monumentisque et inscriptionibus operam dedisse ad res suas memoriae tradendas, pro certo habendum est. Nam quae de Arthmio Zeleita produntur ad verbum paene exscripta esse ex columna aenea, quam Athenienses in huius rei memoriam in arce statuerint, gravissimum habemus testem Demosthenem in Philippic. III, p. 121 ita dicentem: *δηλώσω, οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα ιῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων, ἃ ἐκεῖνοι κατέθεντο εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες εἰς ἀκρύπολιν ..... τί οὖν λέγει τὰ γράμματα; Ἄρθμιος, φησίν, ὁ Πυθώνακτος ὁ Ζελείτης ἄτιμος ἔστω καὶ πολέμιος τοῦ δήμου ... αὐτὸς καὶ γένος ..... ὅτι τὸν χρυσὸν ἐκ Μήδων εἰς Πελοπόννησον ἤγαγεν*, (in oratione de falsa legatione habita p. 428 dicit: *εἰς τοὺς Ἕλληνας ἤγαγεν*) atque idem testatur Aeschines c. Ctesiph. p. 674. — Rerum autem scriptorem Plutarchi auctorem fuisse cogitari nequit; nam quae de legatis a rege Persarum missis exhibet Herodoteae et omni quae de hac re nobis tradita est narrationi prorsus repugnant. Is enim (III, 32) Xerxem cum Sardes venisset praecones qui peterent aquam et terram in omnes Graeciae civitates, praeter Athenas et Spartam, misisse tradit, et cap. 132 postquam rettulit quid profecissent mandatis praecones illi, iterum pro certo affirmat, regem Athenas et Spartam *non* misisse legatos, quod Darii legatis illi vim et manus intulis-

sent. — Aliquo modo igitur Sintenisii [1]) sententiae assentior, qui totam istam narrationem fictam esse putat ortamque scriptoris posterioris aevi incuria, qui quod factum esset cum Darius rex illam moliretur in Graeciam descensionem rettulisset ad Xerxis expeditionem vel eandem rem bis commentus esset. Nam quod Aristides orator [2]), ad quem Finckius [3]) ut confirmet suam sententiam saepius spectat, cum Plutarcho consentit, nullius momenti est, quia quaecunque de Themistocle orator ille profert ex Plutarchea vita descripta sunt. — Quae cum ita sint, dubitandum esse non videtur, quin fuerit in manibus Plutarchi Atthidographorum aliquis, qui vocantur; quorum cum nullus maiore apud veteres scriptores floruerit auctoritate quam Philochorus Atheniensis, cumque Plutarchus ipse et in aliis vitis [4]) et in hac ipsa [5]) scribenda ex Atthide eius permulta hauserit, denique cum constet [6]), eum inscriptiones Athenarum urbis diligentissime pertractasse et ad Atthidem scribendam usurpasse, quin etiam titulorum publicorum collectionem edidisse [7]), atque Atthides illas ita fuisse comparatas, ut singulis annis res memoria dignae adscriberentur, haec omnia ad caput illud Plutarchi ita pertinere mihi videntur, ut non verear ne nimis audacter agam, si Philochorum Plutarchi auctorem fuisse statuo.

Haec sunt quae de sex priorum capitum fontibus aliquo modo statui posse mihi visa sunt; unde enim reliquae in eis congestae narratiunculae fluxerint, neque certo affirmari potest neque magni quidem momenti est, cum

---

1) C. Sintenis in Plut. Them. editione (Lipsiae 1832) p. 41.
2) Aristides, *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* p. 185 Jebb.
3) Finck, de Themistoclis Neoclis filii Atheniensis aetate, vita, ingenio, rebusque gestis. Diss. inaug. Gott. 1849.
4) Fricke, l. l. p. 22, Gilbert in philol. XXXIII p. 46 sqq.
5) cfr. p.   huius dissertationis.
6) Boeckh, über den Plan der Atthis des Philochorus. Abh. d. Kgl. Ak. d. W. zu Berlin 1832.
7) Müller, f. h. G. I p. LXXXV.

quaecunque eis proferuntur ad Themistoclis vitam privatam et iuventutem spectent, ad historiam vero minime pertineant. Prorsus aliter autem comparata sunt capita quae sequuntur inde a VII, in quorum fontibus eruendis multo melioribus nitimur et certioribus argumentis, quia ubique fere licet in comparationem vocare Herodotum, Thucydidem, Diodorum, Iustinum, Nepotem. — Atque ut primum quidem videamus de cap. VII—IX, Plutarchus narrat, Themistoclem ab Atheniensibus cum magno exercitu ad Tempe pro Thessalia propugnaturum missum, sed re infecta redire coactum esse, itaque civibus suis persuasisse, ut se cum classe ad Artemisium mitterent qui fauces custodiret; ibi vero eundem patientia sua et prudentia dissensionem inter Graecos solvisse, cum sua sponte Eurybiadi, Lacedaemoniorum duci, totius classis imperium concessisset. De ipsis autem pugnis Plutarchus nihil habet, nisi quod in capite VIII dicit, ad rem decernendam non multum illas quidem valuisse, sed ob eam causam maximi momenti fuisse, quod Graecos docuissent, viris fortibus et patriae amantibus nihil iniicere terroris barbarorum paeanes aut clamores minaces, audere enim solum victoriae esse fundamentum.

Atque Diodorus Siculus quidem, de cuius fontibus primum quaestio est instituenda, has res in libro XI cap. 2—14 exposuit, quem quidem non Herodotum sed Ephorum secutum esse, in universum Volquardsenius (p. 30 seq.) monuit; ut vero certis argumentis haec sententia confirmetur, optimum videtur, singulis Diodori capitibus cum Herodoteis comparatis, quid utrique proprium sit et quibus dissentiant accuratius notare. — Itaque quae Diodorus 2, 5 dicit, Graecos Euaeneto et Themistocle ducibus decem milia armatorum in Thessaliam misisse, qui paullo post re infecta revertissent, item Herodotos (VII, 173) memoriae tradidit, nonnulla tamen prorsus aliter a Siculo narrantur atque ab Halicarnassensi. Quam enim Herod. affert causam fuisse, ut domum regressi sint Graeci, Diod. non tangit, neque Herod.

Diodori illud scripsit, Euaenetum per legatos ab omnibus Graecorum urbibus postulasse, ut delectam militum manum mitterent ad aditus Thessaliae communi praesidio defendendos. Maxime vero Siculum ex ipso Herodoto hausisse ne putemus eo vetamur, quod ille 3, 1. 2. singulas gentes quae in Persarum partes transgressae sint diligenter enumerat, quarum Herodotus praeter Thessalos nominatim nullam affert. Neque magis de numero exercitus Persarum inter illos convenit, quem Herodotus quidem (VII, 60, 87, 184) 1700000 fuisse dicit, cum Diodorus 3, 6 plus quam 800000 scripserit; navium deinde totum numerum uterque eundem fere affert, Diodorus (2, 1. 3, 7) plus quam 1200 inter quas 320 Graecas, Herodotus accuratius 1207 (cap. 59—96); in enarrandis autem singularum gentium numeris et in ordine quem sequuntur prorsus diversi sunt. Quamquam tali quidem diversitati non nimium tribuendum est, quia si accuratius Diodorum perlegeris facile cognosces, neglegentissime illa omnia ab eo esse perscripta; cum enim primo loco (cap. 2, 1) afferat: ***κατεσκεύασε ναῦς μακρὰς πλείους τῶν χιλίων καὶ διακοσίων,*** singulis numeris computatis non *plus quam* 1200, sed ipsum numerum 1200 invenies, neque quod dixit inter eas fuisse 320 Graecas, cum singulis numeris convenit, sunt enim 890 barbaricae et 310 Graecae naves.

Iam postquam expositum est Graecos, nuntio accepto Persas appropinquare, consilium cepisse, navibus ad Artemisium promontorium dimissis Thermopylarum fauces exercitu pedestri defendere, sequitur (Diod. c. 4, 3—c. 11. Her. VII, 261—233) accurata descriptio pugnae ad Thermopylas factae, quam similiter comparatam etiam apud Iustinum cap. 11 et Plutarchum mal. Her. cap. 32 invenies. Atque ita illi quidem hoc certamen ab omnibus omnium temporum scriptoribus summis laudibus celebratum narrant, ut in universum omnes congruant, singulis autem ab Herodoto reliqui ita dissentiant ut Diodorum, Iustinum, Plutarchum (mal. Her.) communem illos

quidem fontem habuisse, nullum vero Herodotum ipsum evolvisse, enucleate appareat. Ac primum quidem quod Diodorus 4, 3. exhibet, Leonidam cum ad fauces custodiendas cum manu delecta proficisceretur minus de arcendis Persis quam de morte pro patriae libertate obeunda cogitasse, apud Herodotum non legitur, cum Iustinus II, 11, 9. scripserit „rex Leonidas ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent“ et postea „nihil erat difficile persuadere persuasis mori“, atque Plutarchus l. l. 38, 4: *Ἀγῶνα μὲν γὰρ ἐπιτάφιον αὐτῷ ἠγωνίσαντο πρὸ τῆς ἐξόδου καὶ τοῦτον ἐθεῶντο πατέρες αὐτῶν καὶ μητέρες· αὐτὸς δὲ ὁ Λεωνίδας πρὸς μὲν τὸν εἰπόντα παντελῶς ὀλίγους ἐξάγειν αὐτὸν ἐπὶ τὴν μάχην, Πολλοὺς μὲν ἔφη τεθνηξομένους.*

Neque maior in afferendo numero eorum qui cum Leonida fuerant exstat Diodori et Herodoti affinitas, quia ille dicit (4, 4 et 5) Lacedaemoniorum fuisse 1000 ceterorum Graecorum 3000, accessisse ad hos Locrorum 1000, Meliorum 1000, Phoceorum non multo minorem numerum, Thebanorum 400 ita ut summa eorum fuisset 7400, Herodoti vero si colliguntur numeri summa eorum 6400 est prorsus aliter composita. Iustinus contra cum Diodoro facit, quod dicit 11, 2. „nam cum Leonidas, rex Spartanorum cum quatuor milibus militum angustias Thermopylarum occupasset“, (Diod. 4, 5: *ὁ μὲν οὖν Λεωνίδας μετὰ τετρακισχιλίων προῆγεν ἐπὶ τὰς Θερμοπύλας*) et alia communis cum eo fontis vestigia prae se fert; conferas modo Diod. 5, 3, *ὥστε ἔχειν αὐτὸν (Ξέρξην) τοὺς σύμπαντας οὐκ ἐλάττους τῶν ἑκατὸν μυριάδων χωρὶς τῆς ναυτικῆς δυνάμεως*, et Iustin 10, 18 „iam Xerxes septingenta milia de regno armaverat et trecenta milia de auxiliis“, deinde Diod. 5, 3: *φασὶ γὰρ τοὺς ἀενάους ποταμοὺς διὰ τὴν τοῦ πλήθους συνέχειαν ἐπιλιπεῖν*, et Iustinum 10, 19 „ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata“, et 10, 25. „quarum tanta copia in regno eius fuit, ut cum flumina multitudine consumerentur“ seq. quae omnia non magis Herodotea

sunt quam quod Diodorus 5, 5. exhibet, misisse Xerxem ad Graecos qui postularent, ut illi depositis armis socii Persarum fierent, Leonidam autem respondisse, *ὅτι καὶ συμμαχοῦντες τῷ βασιλεῖ χρησιμώτεροι μετὰ τῶν ὅπλων ἔσονται καὶ πολεμεῖν ἀναγκαζόμενοι μετὰ τούτων γενναιότερον ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας ἀγωνιοῦνται*, aut quod c. 8, 4. scripsit, Tyrastiadam Cumaeum Graecos certiores fecisse, eos a tergo circumventos iri. Talia autem quonam magis pertinent quam ad Ephorum Cumaeum, disertissimum Isocratis discipulum? Iustinus contra hic quoque cum Diodoro consentit, quod de causa cur Leonidas plerosque socios, antequam res ad ultimum dimicationis veniret, dimisisset, 11, 5 scripsit: „tunc hortatur socios, recedant et se ad meliora patriae tempora reservent, sibi cum Spartanis fortunam experiendam; plura se patriae quam vitae debere, ceteros ad praesidia Graeciae servandos“, et Diod. 9, 1. *προσέταξε τοὺς μὲν ἄλλους Ἕλληνας ἅπαντας ἀπιέναι καὶ σώζειν ἑαυτούς, ἵνα κατὰ τὰς ἄλλας μάχας συναγωνίζωνται τοῖς Ἕλλησιν, αὐτοὺς δὲ τοὺς Λακεδαιμονίους ἔφησε δεῖν μένειν κ. τ. λ.* Sed plus etiam ad nostram quaestionem denique valet, quod Diodorus c. 10, Iustinus 11, 15. seq., Plutarchus mal. Her. 32 mirum in modum consentiunt in narrandis ultima Graecorum dimicatione et morte; atque ita profecto consentiunt, ut haec una res sufficeret ad probandum quod posuimus, Diodorum, Iustinum Plutarchum (mal. Her.) eodem auctore niti, Herodoti libros autem ab eis prorsus neglectos esse. Nam quae illi omnes cum magna verborum turba et ornatu rhetorico proferunt, quod Plutarchus pulcherrimum Graecorum factum vocat, audacissimam illam irruptionem dico a Graecis in castra Persarum usque ad regis tentorium factam, neque exstant apud Herodotum, neque ullam omnino cum verbis eius admittunt rationem, et tantum abest, ut veritatis speciem prae se ferant, ut a posterioribus demum scriptoribus ad rem temere exaggerandam ea excogitata esse dilucide appareat[1]).

1) G. Grote, history of Greece vol. V pag. 124, annot. 1,

Quam his adnexuit Diodorus c. 11. pugnae Thermopylensis laudationem, apud Herodotum illam quidem non quaeres, sed fluxisse eam sicut reliqua eiusmodi elogia, quae satis multa in Diodori bibliotheca inveniuntur [1]), ex Ephoro Isocratis discipulo cum e genere scribendi illius tum inde colligendum est, quod distincta Isocratei sermonis vestigia in ea inveniuntur. Conferas v. g. Diodori verba (11, 1) *καὶ μᾶλλον εἵλοντο τελευτᾶν καλῶς ἢ ζῆν αἰσχρῶς*, cum Isocratis quae sunt in oratione IV, 95: *ἀλλ' ὥσπερ τῶν ἀνδρῶν τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς αἱρετώτερόν ἐστι καλῶς ἀποθανεῖν ἢ ζῆν αἰσχρῶς;* et quod idem IV, 92 de Leonidae et Lacedaemoniorum morte dicit: *ἀλλ' οἱ μὲν διεφθάρησαν, καὶ ταῖς ψυχαῖς νικῶντες τοῖς σώμασιν ἀπεῖπον (οὐ γὰρ δὴ τοῦτό γε θέμις εἰπεῖν ὡς ἡττήθησαν)* cum Diod. c. 11, 2. *οἵτινες.... τοῖς μὲν σώμασι κατεπονήθησαν ταῖς δὲ ψυχαῖς οὐχ ἡττήθησαν*, alia multa quae hic afferre longum est. Qua pugnae terrestris descriptione ad finem perducta Diodorus inde a c. 12. ad navale proelium narrandum transit, his verbis: *ἐπεὶ δὲ πεζῇ τῶν παρόδων ἐκυρίευσε τῶν κατὰ τὴν θάλασσαν ἀγώνων ἔκρινε λαμβάνειν πεῖραν*, eundem quem Iustinus secutus auctorem qui 21, 19. dicit „Xerxes duobus vulneribus terrestri proelio acceptis experiri maris fortunam statuit.“ Omitto quod Diodorus falsissime ita rem descripsit ac si tunc demum Xerxes Megabazem, classis praefectum, iussisset Pydna ancora solvere, quia Volquardsenius (pag. 32) haec iam monuit, qui et ipse addidit difficultatem illam ita esse solvendam ut putaremus, Ephorum verbis quae sunt *Ξέρξης τῶν κατὰ θάλασσαν ἔκρινε λαμβάνειν πεῖραν* transiisse ad narrandas res post pugnam Thermopylensem a classe Persarum gestas sicuti a Iustino fit antea vero pugnas ad Artemisium pugnatas inseruisse.

The story of Diodorus (XI, 10)..... is irreconcileable with Herodotus and decidedly to be rejected.

1) cfr. Volquardsen, l. l. pag. 48 seq.

Quodsi ad ea quae de pugna navali ipsa Diodorus exhibet idem valet quod supra diximus, eum in universum cum Herodoto congruere, complures res autem prorsus aliter ab eo enarratas esse quam ab Herodoto. Nam uterque quidem scripsit classi Persarum ad Sepiadem promontorium constitutae tempestatem subito ortam magnum damnum attulisse, Diodorus autem dicit, trecentas naves longas esse obrutas, Herodotus (III, 190) *τετρακοσίων οὐκ ἐλάσσονας*. De numero navium deinde, quibus Graeci ad Artemisium pugnaverint non magna inter eos intercedit differentia (Herodotus enim VIII, 2. Graecorum omnium fuisse 272 inter quas 147 Athenienses scripsit, Diodorus autem 12, 4. Graecorum omnium 280 inter quas 140 Athenienses) sed in narrandis rebus in pugna ipsa ab illis gestis nullus fere eorum exstat consensus. Nam quod Herodotus VIII, 4. 5. scripsit, Themistoclem pecunia ab Euboeensibus accepta Graecorum duces fugam parantes commovisse ut manerent, eiusque pecuniae Eurybiadi quinque, Adimanto tria talenta dedisse, apud Diodorum non legitur, neque omnino putaverim Ephorum haec scripta habuisse, quia Plutarchus in mal. Her. cap. 34, 1. Halicarnassensi crimini dat, quod talia Graecis indigna memoriae tradidisset, neque in vita Them. cap. VII, quae similia affert, e fonte primario hausit, sed Phaniam secutus refert. Nullo denique verbo Herodotus monuit, quod Diodorus (12, 5) scripsit, Themistoclem convocato consilio de ratione pugnandi contra alios omnes, qui impetum hostium exspectandum censuissent, id maxime voluisse ut omnibus viribus et tota classe ipsi hostes adorirentur, quo consilio factum esse ut victoriam Graeci reportassent. Quodsi de altero pugnae die Herodotus cum Diodoro non consentit non mirum est, quia ita negligenter de hac re Siculus scripsit, ut acquiescat in repetendis eis quae de priore die iam dixerat; confer modo quae dicit c. 12, 6. *καὶ γενομένης ναυμαχίας ἰσχυρᾶς, μέρει μὲν τῶν νεῶν, ἑκάτεροι ἐπροτέρησαν, οὐδέτεροι δὲ ὁλοσχερεῖ νίκῃ πλεο-*

νεκτήσαντες νυκτὸς ἐπιλαβούσης διελύθησαν, et 13, 2. *γενομένης δὲ ναυμαχίας ἰσχυρᾶς πολλαὶ νῆες παρ' ἀμφοτέρων διεφθάρησαν, καὶ νυκτὸς ἐπιγενομένης ἠναγκάσθησαν ἀνακάμπτειν ἐπὶ τοὺς οἰκείους λιμένας.* Herodoto denique scribenti (VIII, 17) *Ἐν ταύτῃ τῇ ναυμαχίῃ Αἰγύπτιοι μὲν τῶν Ξέρξεω στρατιωτέων ἠρίστευσαν.* adversatur Diodorus quod 13, 2. affert, *ἀριστεῦσαι δὲ ἐν ἀμφοτέραις ταῖς ναυμαχίαις φασὶ . . . . παρὰ τοῖς βαρβάροις Σιδωνίους.*

De his omnibus autem Plutarchus in vita Themistoclis pauca scripsit, nulla alia de causa, ut videtur, quam quia in neutro certamine describendo ulla se offerebat occasio Themistoclem laudibus efferendi; tamen ex eis quae habet satis luculenter apparet eum non ex Herodoto hausisse, uti Wolfius putat, sed communi cum Diodoro et auctore libelli de malignitate Herodoti scripti niti fonte.

Primum enim cum virtutis Themistocleae exemplum afferat quod ille, cum intellexisset e dissensione ducum magnum patriae impendere periculum, Eurybiadi sua sponte imperium concessisset, Herodotus (VIII, 2 et 3.) prorsus aliter factum esse exponit, ut Eurybiadi imperium totius classis traderetur, neque Themistoclem ullo verbo commemorat. Deinde (c. VIII — v. 5 p. 227.) paucis comprehendit Plutarchus, quae Graecis evenerint commoda e pugna ad Artemisium facta quamquam incerto Marte dimicaverint, quae quam sint cum maiore quodam orationis elatu dicta et ornamentis rhetoricis ornata legentem neminem fugit. Ad quemnam vero magis illa pertinent quam ad Ephorum, praesertim cum haec quoque similibus sententiis e Diodoro et Isocrate desumptis illustrari possint? Conferas v. g. Isocr. IV, 75, 91 et Diodor. X, 32, 2 et 33, 1 et 2. Neque negligendum denique est, quod in mal. Her. cap. 34. idem Pindari verus: *ὅθι παῖδες Ἀθαναίων ἐβάλοντο φαεννὰν — κρηπῖδ' ἐλευθερίας* ad eandem rem probandam (evenisse Graecis magnam gloriam e pugnis ad Artemisium

pugnatis) adscriptus est, qui quin utroque loco ex eodem fonte fluxerit, nemini, opinor, dubium erit. Sed haec quidem hactenus. Satis probasse mihi videor, Plutarchum Diodorum, Iustinum, auctorem libelli de mal. Her. scripti, in describendis proeliis ad Thermopylas et Artemisium commissis eodem niti auctore, non autem Herodoto, sed eo qui Halicarnassensis libros vel maxime in usum suum converterit, Ephoro. De Theopompo enim cogitari nequit, si quidem ex eo quae de classe Atheniensium aedificata Plutarchus, Iustinus, Nepos pratulerunt hausta sunt, cum utramque narrationem ad unum auctorem referri non posse, supra demonstratum sit.

Eadem autem fontium ratio est in eis quae sequuntur apud Plutarchum cap. IX apud Iustinum 12, 12 seq. apud Diodorum c. 13, 2. et cap. 14. apud Herodotum VIII, c. 17—40. Nam cum et Plutarchus et Diodorus et Herodotus afferant primos in pugna navali fuisse a Graecorum parte Athenienses, in ea re diversi sunt, quod Herodotus a Persarum parte *Aegyptos*, Diodorus autem *Sidonios* virtutis palmam reportasse dicit. Deinde quae sit Plutarchi et Diodori et auctoris libelli de mal. Her. affinitas in afferenda causa cur Graeci ab Artemisio promontorio recesserint, si conferuntur Plut. mal. c. 34: *τοὺς Ἕλληνας ὅμως ὑφέσθαι τοῦ Ἀρτεμισίου τοῖς βαρβάροις τὰ περὶ Θερμοπύλας ἀκούσαντας . . . . . καὶ Ξέρξου τῶν παρόδων κρατοῦντος*, vita Them. cap. 9: *Τῶν μέντοι περὶ Θερμοπύλας εἰς τὸ Ἀρτεμίσιον ἀπαγγελθέντων πυθόμενοι Λεωνίδαν τε κεῖσθαι καὶ κρατεῖν Ξέρξην τῶν κατὰ γῆν παρόδων, εἴσω τῆς Ἑλλάδος ἀνεκομίζοντο*; Diod. c. 12, 1: *Ξέρξης γὰρ τῶν παρόδων τὸν εἰρημένον τρόπον κρατήσας*; c. 13, 3: *μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Ἕλληνες ἀκούσαντες τὰ περὶ Θερμοπύλας γενόμενα, ... διόπερ ἀποπλεύσαντες εἰς Σαλαμῖνα κ. τ. λ.*, legentem neminem fugiet; contra quod Plutarchus c. IX narrat, Themistoclem secundum oram Ionicam navigantem per inscriptiones lapidibus incisas ab Ionibus ut deficerent postulasse, item apud Herodotum (VIII, 22) et Iusti-

num leguntur, a Diodoro autem omissa sunt. Videtur igitur aliquo iure inde concludi posse, Ephorum quem Diodorus sequatur haec perscripta non habuisse, Plutarchum igitur et Iustinum ex Herodoto hausisse. Minime tamen hoc inde colligendum est. Primum enim Siculus tam negligenter saepe auctorem suum exscripsit ut e silentio eius nihil de fontis genere concludi possit, deinde sunt etiam apud Diodorum ipsum, quibus Ephorum quoque Themistoclis calliditatem illam scriptam habuisse ut putemus, inducamur. In cap. 17. enim 3. et 4. narrat, Ionum duces ante pugnam Salaminiam initam Samium quendam ad Graecos misisse, qui de tota regis acie atque ipsorum defectione certiores illos redderet, (*περὶ τῆς ὅλης ἐκτάξεως, καὶ διότι κατὰ τὴν μάχην ἀποστήσονται τῶν βαρβάρων*) id ipsum autem Themistocles inscriptionibus illis postulaverat, ut aut a barbaris deficerent, aut, si id fieri nequiret, inter pugnandum barbaris quantum fieri posset nocerent. Ne vero dubitemus quin hoc ad inscriptiones revera referendum sit, Diodorus addit: *ὁ μὲν Θεμιστοκλῆς, κατὰ νοῦν αὐτῷ προκεχωρηκότος τοῦ στρατηγήματος, περιχαρὴς ἦν.* Herodotus contra tantum abest, ut Iones in pugna a Persis defecisse scripserit, ut propter fortitudinem summa laude a rege eos celebratos esse auctor sit, cum Iustinus de hac quoque re cum Diodoro consentiat quod et ipse dicit 12, 25: „Cum anceps proelium esset, Iones iuxta praecepta Themistoclis, pugnae se paulatim subtrahere coeperunt." De verbis quidem ipsis a Themistocle lapidibus incisis, quantus exstet et Plutarcho et Iustino cum Herodoto consensus, legentibus relinquo investigandum; nihil enim inde probatur, nisi quod semper tenendum est, Ephorum in scribenda illius temporis memoria Herodoti libros pro fundamento historiarum sumpsisse.

Quae breviter deinde a Plutarcho (cap. IX p. 228) exponuntur Xerxem signis a Thermopylarum faucibus motis iter per Doridem et Phocensium fines fecisse, ut to-

tius belli impetum terra marique ad Atheniensium moenia transferret, fusius a Diodoro c. 14. et Herodoto VIII c. 31—39 describuntur. Atque narrat quidem uterque, Xerxem per Doridem cum exercitu proficiscentem campis et agris pepercisse, Phocensium autem templa et urbes ferro ignique vastasse, sed ea re diversi sunt quod Herodotus id ideo factum esse saepius addit (c. 27, 29, 30.) quia Thessali, Phocensibus infensissimi, duces fuissent Persarum, cum Diodorus Thessalos ne nominet ille quidem. Neque aliter Plutarchi (mal Her. c. 25) auctorem hanc rem intellexisse certissime apparet, quia Plutarchus id ipsum Herodoto crimini dat, quod Phocenses, qui soli in illis regionibus alienos a Persis animos habuissent, nullam aliam ob causam a Graecorum partibus stetisse dicerentur, quam quia Thessalorum odio commoti fuissent.

Accedit aliud quod maioris etiam momenti est. Herodotus enim et Diodorus et Iustinus narrant, turbam armatorum a Xerxe ad diripiendum templum Apollinis Delphos missam interiisse quia dei immortales ipsi mirum in modum aedem illam sacram defendissent; neque quemquam vel obiter eos legentem fugiet quae exstet inter eos et rerum et verborum similitudo.

Nihilo secius ex Herodoto illa fluxisse non putandum est, quia versus, quos Diodorus (14, 4.) tradit tropaeo ad Pronaae Minervae templum in huius rei memoriam a Delphicis erecto inscriptos fuisse, Herodotus non adscripsit neque quidquam omnino de hac re cognitum habuisse videtur. Quodsi denique Diodorus memoriae tradidit, Xerxem vastatis Thespiensium agris et Plataeis incensis in Atticam irruptionem fecisse *urbemque Athenarum delevisse*, cum Herodoto teste urbs ipsa decem mensibus post demum a Mardonio ferro ignique vastata sit (Her. VIII, 53, IX, 13), ideo non soli levitati Diodori, sed fontium diversitati tribuerim, quia idem Iustinus et Nepos tradiderunt. (cfr. Iustin. II, 12, 11. et Nepot. c. 4, 1. Nipperdei ed. mai. C. Nep. p. 82.)

Haec igitur Diodori ad Ephorum pertinent. Iam pergit Plutarchus (inde a v. 5 pag. 228): Athenienses, accepto nuntio Xerxem vastatis Phocensium finibus in Atticam agmen ducere, a Peloponnesiis petivisse, ut hostibus secum obviam irent, neminem vero eos audivisse, sed omnibus Peloponnesum ita cordi fuisse ut copiis intra Isthmum conductis hunc ipsum muro munivissent, Athenas autem hostibus diripiendas et delendas reliquissent; in quibus rerum angustiis cum summa salus atque incolumitas civitatis in periculum adductae fuissent, neque quisquam quid agendum esset scivisset, Themistoclem fortissime rei publicae gubernacula suscepisse, atque optimum gubernatorem per maximos turbines ac fluctus navem in portu collocasse, quia civibus persuasisset ut urbe Diis patriis relicta naves conscenderent et navibus omnem salutem peterent. De his quidem Atheniensium temporibus et proditione Peloponesiorum, quos, *antequam urbs Athenarum a Persis capta esset*, in Peloponnesum se subduxisse Isthmumque firmasse Plutarchus auctor est, Herodotus VIII, 71 eadem rettulit, Diodorus vero nihil habet; quin videtur etiam a Plutarcho diversus esse, quod dicit Peloponnesios communi Graecorum classe ad Salaminem insulam congregata subito timore perterritos, cum *vastam Atticam* ante oculos habuissent, Isthmum muniendum censuisse et tum demum id opus aggressos esse. (c. 16, 3.) Tamen manet quod posuimus, Plutarchum Herodoti libros non evolvisse, neque e Diodori diversitate colligi posse eum diversum a Plutarcho fontem in manibus habuisse. Primum enim quaecunque capite IX a Plutarcho narrantur, arctissime inter se cohaerent atque ita uno tenore scripta sunt, ut si recte initium capitis ex Ephoro haustum esse posuimus idem ad totum caput valere debeat. Deinde longior etiam Herodoto Plutarchus est, nam quae Athenienses ira proditionis et maestu solitudinis commotos animo volvisse dicit (v. 13 p. 228 seq.), ut Isocratis discipulum valde redolent ita ab Herodoto aliena sunt. Ne-

que magis quae Diodorus de Isthmo munito habet (c. 16, 3) ut ut cum Herodoti verbis similitudinem prae se ferunt, ex eius libris desumpta esse possunt, quia accurata muri descriptio: *διατεῖνον ἐπὶ σιαδίους τεσσαράκονια ἀπὸ Λεχαίου μέχρι Κεγχρεῶν*, apud Herodotum non legitur. Quodsi denique Diodorus et Plutarchus dissentire videntur, soli Diodori negligentiae tribuendum est, ut qui leviter modo auctorem communem inspexerit; nam cum c. 16, 3 Peloponnesios communi Graecorum classe ad Salaminem insulam congregata demum Isthmum muniendum censuisse tradat, eosdem c. 15, 3 cum, quo loco pugnandum esset inter duces deliberaretur, dicentes facit: „ad Isthmum belligerendi locum esse transferendum, ut qui, *cum bene esset munitus*, (*τετειχισμένου γὰρ αὐτοῦ καλῶς*) fugientibus, si quid infesti in pugna navali accidisset, tutelam et securitatem daturus esset“ unde Diodori et Plutarchi auctores diversos non esse, apparet.

Restat ut pauca addam de duobus capitum VII—IX locis, quos ex Ephoro Plutarchum hausisse cogitari non potest; quorum priore (c. VII v. 30 p. 225 — finem cap.) exponit, Euboeenses veritos ne classis Graecorum discederet, per Pelagontem clam cum Themistocle egisse magnamque pecuniam ei misisse, qua accepta Eurybiadem ceterosque Graecorum duces corrupisset, Architelem autem cibo misso ut maneret commovisset. Plutarchus autem ipse duos nominat auctores Herodotum et Phaniam Lesbium, quorum ne Herodotum pro Plutarchi fonte habeamus, uti Wolfius vult, primum Marlius[1]) ex Pelagontis hominis Horodoto ignoti commemoratione Plutarchum aliunde illam rem repetivisse iudicavit. Sed ne Architelis quidem nomen Herodotus scripsit, qui triginta talentorum ab Euboeensibus missorum Themistoclem Eurybiadi quinque, Adimanto tria dantem, reliqua autem

---

1) **Marle**, de fide Herodoti a Plutarcho reiecta. diss. inaug. Lugdun. 1826. — cfr. etiam **Lahmeyer**, l. l. p. 69.

sibi ipsi retinentem facit. Plutarchus igitur Herodotum ipsum non evolvit, sed nomen eius in fonte primario invenit. Quare cum ipse praeterea Phaniam testem nominet, non est cur ex eo narratiunculam istam desumptam esse Plutarcho non credamus, nisi quod equidem puto, ne hunc quidem ipsum a Plutarcho esse inspectum sed nomen eius e Neanthis Cyziceni libris, qui Phaniam pro fonte primario habuerit fluxisse. Sed de hac quaestione sub finem dissertationis nonnulla mihi sunt addenda. Altero autem loco a Plutarcho inter narrationem Ephoream interiectam esse puto quae in cap. VIII (v. 5 p. 227) exstat accurata Artemisii promontorii descriptio, quam leviter modo eis quae proxime praecedunt esse annexam neminem fugit. Vide modo quam parum apte Plutarchi verba se excipiant:

„ὅθι παῖδες Ἀθαναίων ἐβάλοντο φαεννὰν
„κρηπῖδ' ἐλευθερίας·

ἀρχὴ γὰρ ὄντως τοῦ νικᾶν τὸ θαρρεῖν. Ἔστι δὲ τῆς Εὐβοίας τὸ Ἀρτεμίσιον κ. τ. λ. An tu putas ita ab Ephoro pugnae descriptionem et panegyricum illum in Graecorum laudem habitum fuisse conclusum? Neque vero, ut ut apud omnes constat Ephorum rebus geographicis vel maxime operam dedisse et ob eam causam a veterum scriptoribus summa laude esse celebratum [1]), ei qui omnium gentium historiam scripturus erat, in singulis templis et lapidibus describendis ita longus esse licebat. Atthidographorum contra erat, illum locum quo primum a Graecorum classe cum barbaris arma conserta erant, quo prae aliis omnibus summam gloriam Athenienses sibi comparaverant accuratissime singultim describere. Quorum quidem scriptorum quemnam potissimum ante oculos habuerit Plutarchus, quamquam certo demonstrari nequit, de nullo cum pari similitudine veri cogitari potest quam de Philochoro, cuius et supra

---

1) Cfr. Strabonem IX p. 640; Polybium apud eundem X p. 625.

invenimus vestigia et certiora etiam in cap. X occurrunt, ad quod nunc transeundum est.

Atque complexus est hoc capite Plutarchus, quae fuerint urbis Athenarum tempora et condicio antequam cives naves conscendissent, quae miracula in terrorem eos vocaverint, quae plebiscita illo tempore Athenis scripta sint. Quae ex Ephori libris a Plutarcho petita esse, non vereor ne quis putet, nam quod (v. 2 seq. p. 229) *ψηφίσματα* a Themistocle et Nicagora scripta ad verbum enarrantur, aut quae Plutarchus (v. 23 sq.) exhibet de enavigantium spectaculo misericordiam movente et de cane Xanthippi qui in mare insiluerit et iuxta navem navigantem usque ad Salaminem insulam pervenerit, ad illius historias referri profecto nequeunt. Non magis autem de Herodoto cogitari potest, quippe qui, quamquam et ipse (VII, 143) Themistoclem oraculum item ut Plutarchus facit explicantem, et VIII, 41. enarrat, Athenienses cum serpens sacra cibum illis diebus intactum reliquisset eo libentius naves conscendisse quia Deus ipse ex arce demigrasset (cfr. Plut. v. 24—30 p. 228), tamen quae inde a v. 2 p. 229 leguntur, scripta non habeat. Rerum scriptorem igitur Plutarchus non inspexit. Quod ipse deinde Aristotelem testem nominat, hoc ideo solum fit ut eius testimonio Clidemi sententia refutetur vel in dubium vocetur; atque tantum abest, ut Aristoteli totum caput tribuam, ut ne ea quidem quae ab illo se accepisse ipse fatetur Plutarchus ex Aristotele manasse putem, quia parum verisimile est Plutarchum, etsi merito illi summam rationem habuerit, in tanta librorum eius varietate atque copia ad unam sententiam confirmandam evolvendi operam suscepturum fuisse. Recte igitur suspicatus esse videtur Wolfius, Atthidographorum aliquem Plutarchi auctorem fuisse, quamquam argumentis ille quidem sententiam non confirmavit. Sunt autem argumenta, atque ut mihi quidem videtur satis gravia, ut illa omnia e Philochoro hausta esse iudicandum sit. Primum enim inMuelleri

fragm. hist. Gr. I p. 397 fragmentum legitur Philochori ex Aeliani N. A. XII, 35 desumptum, quo ut in hoc capite narratur, Xanthippi canes Atheniensibus in classem demigrantibus una cum domino transmittente ex Attica in Salaminem insulam natando traiecisse. Deinde sub finem capitis nomen loci illius qui est in Salamine insula *Κυνόσσημα* inde ortum esse dicitur quia ibi esset *σῆμα κυνός* illius Xanthippi, quo certius argumentum Philochoreae auctoritatis vix inveniri potest. Illum enim prae aliis omnibus id maxime egisse ut etymologiam adhiberet ad confirmandam suam narrationem, facile concedes si contuleris quae leguntur in fragment. 6, 10, 12, 16, 71, 157, 186 aliis. Iam vero optime ad Philochorum quadrat quod commemorantur in hoc capite *σημεῖα δαιμόνια καὶ χρησμοί*, quae Philochorus, cum esset oraculorum interpres doctissimus qui scripsisset *περὶ μαντικῆς*, *περὶ ἑορτῶν*, *περὶ θυσιῶν*, accuratissime animo percepisse putandus est. Neque poenituisse eum in Atthide talia afferre longa disputatione demonstrare non opus erit, si in comparationem vocavero fragmentum 146 quo dicit: *Τοῦ δ' ἐνιαυτοῦ τουδὶ διελθόντος, ἑτέρου δ' εἰσιόντος, ἐν ἀκροπόλει σημεῖον ἐγένετο τοιοῦτο κ. τ. λ.*

Restat igitur ut quaeramus, num fieri potuerit ut Plutarchus in Philochori atthide Aristotelem et Clidemum testes nominatos inveniret. Atque per temporum quidem rationem id fieri potuisse nemo negabit quia Philochori vita ab ol. 115 fere usque ad ol. 130 pertinuit, Clidemus vero, atthidum scriptorum vetustissimus, expeditionis Siciliensis finem vidit, et floruit cum symmoriae Nausinico archonte (ol. 100, 3) instituerentur; cum autem copiose, exacte, acri iudicio eum res narrasse constet, facile intelligitur cur Philochorus libris eius saepe usus sit. Neque minus Aristotelis libros a Philochoro in Atheniensium instituta diligenter inquirente esse evolutos cum per se patet, tum ea re probatur quod in fragmentis saepius [1]) Philochori sententia Aristoteleae oppo-

1) Cfr. Philochori fragmenta in Mülleri fragm. h. G. I,

nitur aut ea confirmatur; quibus locis Philochorum ipsum Aristotelem laudasse aut vituperasse si ponemus a veritate non nimis aberrabimus.

Eiusdem sine dubio auctoris initium etiam capitis XI (— v. 13 pag. 230) est, quo exponit Plutarchus Themistoclem, cum vidisset Athenienses desiderio Aristidis teneri, plebiscito scripto exilii decretum solvisse. Herodotus enim (VIII, 79) illum *ante* pugnam Salaminiam in patriam esse revocatum non tradidit, immo auctor est ipso pugnae navalis die ad Themistoclem eum venisse eumque certiorem reddidisse, classem Graecorum a Persis esse circumcinctam, quamquam *ἐξωστρακισμένος* erat, et Themistoclis *οὐ φίλος ἐχθρὸς δὲ τὰ μάλιστα*. Neque magis ex Ephoro narratiuncula ista petita esse potest, quia huius auctoritate nisus Plutarchus in cap. XII et ipse affert, pugnae navalis die Aristidem exilio nondum fuisse liberatum [1].

Certe autem e Philochori libris *non* fluxerunt narratiunculae quae inde a v. 13 capitis XI Plutarchei sequuntur, de quarum auctore ut dubitari potest, ita nullius fere pretii est scire unde derivatae sint. Voluit eis, ut videtur, Plutarchus transitum facere ad pugnae Salaminiae descriptionem quae sequitur in cap. XII inde a verbis: *διὸ δὴ καὶ μάλιστα προσέθεντο τῇ γνώμῃ κ. τ. λ.* Sed id non prospere ei processit. Eurybiadem enim navium ducem fuisse, id quidem dicit (v. 13. cap. XI: *Εὐρυβιάδου δὲ τὴν μὲν ἡγεμονίαν τῶν νεῶν ἔχοντος*), sed naves illas communem Graecorum classem fuisse, quae post pugnam Artemisianam ad Salaminem insulam convenerat, nullo verbo monuit; nihil audimus de consiliis ducum, qui quo loco pugnandum sit diu disputaverant, nihil de Peloponnesiorum ignavia qui de sua tantum salute et incolumitate solliciti ad Isthmum certamen committendum esse volebant, nihil de causis quibus Themi-

p. 384 sqq. fragm. 61, 65, 67, 68, 84, 101, 106, 171. —

1) Rinck, prolog. ad Aem. Prob. ed. Roth pag. LXXIII.

stocles Graecis persuadebat, ut loci opportunitate usi ad Salaminem pugnam decertarent; sed satis habet Plutarchus attulisse *τὰ μνημονευόμενα* (v. 18) a ducibus prolata. Quare ne ex Ephoro quidem haec desumpta esse, nemo profecto putabit. At sunt quibus cum Herodoto ad verbum paene Plutarchus consentiat, cfr. VIII. c. 59. Nec tamen hic Plutarchi fons fuisse potest, quia in loco illo Herodoti non Eurybiades sed Adimantus Themistoclem alloquitur, neque quae Plutarchus habet inde a v. 23 *Ἐπαραμενόν δὲ τὴν βακτηρίαν κ. τ. λ.* nisi breviter adumbrata apud Herodotum invenies. Fortasse contra non sine omni veri specie, cum rhetoricus quidam impetus in Plutarchi verbis inesse videatur, (cfr. maxime orationem quam Themistoclem habentem facit inde a v. 29. p. 230 — v. 3 p. 231) cogitari potest de Neanthe Cyziceno, cui magnam a Plutarcho in hac vita scribenda habitam esse fidem, postea demonstrare posse mihi videor, ad quem, ut erat Isocratis discipulus, vestigia illa oratoria iure referuntur. Eidem vero non tribuerim, quae primis deinde capitis XII versibus Plutarchus commemorat, cum quia ipse dicit *λέγεται δὲ ὑπό τινων* (ab alio igitur auctore), tum quia eis quae praecedunt quodammodo etiam contraria sunt. Illa enim in consilio ducum, sicut Herodotus et Diodorus narrant a Themistocle et Eurybiade prolata esse cogitare debemus, hoc loco autem Plutarchus dicit: *λέγεται . . τὸν μὲν Θεμιστοκλέα περὶ τούτων ἀπὸ τοῦ καταστρώματος ἄνωθεν τῆς νεὼς διαλέγεσθαι.* Quare, maxime autem ob eam causam, quia ad miraculorum et signorum explicationem versus illi spectant[1], ex Philochoro eos desumptos esse puto.

Ceterum haec quidem omnia cum ad ipsam rerum memoriam non pertineant, non magni momenti sunt, inde vero a verbis *διὸ δὴ καὶ μάλιστα* Plutarchus ad auc-

1) vide *Hesychium* s. *γλαὺξ ἔπτατο· πρὸ τῆς μάχης ἐν Σαλαμῖνι γλαῦκά φασιν διαπτῆναι τὴν νίκην προσημαίνουσαν.*

torem historicum reversus cap. XII—XVII pugnam navalem ad Salaminem insulam decertatam persequitur. Quae descriptio cum diligenter et accurate instituta sit, ideo plurimi nobis aestimanda est, quia ad fontes eius investigandos auxilia nostra ut ita dicam, Herodotum Diodorum, Iustinum, Nepotem in comparationem revocare licet. Atque eisdem paene verbis usi et Herodotus et Diodorus et Plutarchus ad pugnam illam describendam transeunt. Cfr. Her VIII, 64: *οὕτω ἔπεσι ἀκροβολισάμενοι .... αὐτοῦ παρεσκευάζοντο ὡς ναυμαχήσοντες,* et Diod. 14, 1: *Τέλος δὲ . . . οἱ μὲν Ἕλληνες παρεσκευάζοντο τὰ πρὸς τοὺς Πέρσας καὶ πρὸς τὸν κίνδυνον*, et Plut. c. XII, 1: *διὸ δὴ καὶ μάλιστα προσέθεντο τῇ γνώμῃ καὶ παρεσκευάζοντο ναυμαχήσοντες.* Exponit igitur Plutarchus cap. XII Graecos, cum pugnandi consilio capto litora navibus hostium tecta et Xerxem cum ingenti agmine ad mare descendentem vidissent, in novum terrorem illapsos iterum de Isthmo cogitasse; Themistoclem autem, cum cognovisset eos id agere, ut auxilio quod proveniret e loci opportunitate et angustiis neglecto in suam quisque urbem dilaberentur, per servum fidelem Persarum regem huius rei certiorem fecisse, eo consilio ut Graeci Persarum navibus undique circumcincti ad pugnam decertandam cogerentur. Atque Diodorus quidem, quamquam paullo brevior est, cum Plutarcho prorsus conspirat, neque minus Herodotus magnam in universum cum utroque prae se fert similitudinem, neutrum tamen ex hoc sed utrumque ex Ephoro hausisse ut putemus, satis multae esse videntur causae. Nam quae de Isthmo a Peloponnesiis munito Diodorus 15, 3 scripsit ex Herodoto desumpta esse non posse, supra jam vidimus; neque inde quidquam colligi potest quod Plutarchus c. XII cum Herodoto consentiens affert, Sicinnum Themistoclis liberorum magistrum ad Xerxem missum esse, Diodorus autem solum dicit: *ἔπεισέ τινα πρὸς τὸν Ξέρξην αὐτομολῆσαι* postea vero (cap. XVI) Plutarchus, cum iterum nuntius

ad regem mitteretur, scripsit: πέμπει τινὰ τῶν βασιλικῶν εὐνούχων ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις ἀνευρὼν, Ἀρνάκην ὄνομα, Diodorus 12, 5 autem: τὸν παιδαγωγὸν τῶν ἰδίων υἱῶν ἀπέστειλε πρὸς τὸν Ξέρξην κ. τ. λ. dicit, atque hic quidem hoc loco cum Herodoto congruit a Plutarcho dissentit. Neuter enim *utroque* loco cum Herodoto facit, sed alter altero loco consentit altero loco ab eo dissentit, et quanta fuerit Siculi negligentia satis apud omnes constat. Nam quod Schilderus qui uti Wolfius putat, Plutarchum haec omnia ex Herodoto hausisse, eum ideo ab Herodoto diversum esse voluit, quia negligenter VIII c. 75 pro eo quod scriptum est: πέμπει ἐς τὸ στρατόπεδον τὸ Μήδων ἄνδρα πλοίῳ, legisset: πέμπει ἐς τὸ στρατόπεδον τῶν Μήδων ἄνδρα (dicit enim Plutarchus Sicinnum fuisse Persam, Herodotus solum οἰκέτης καὶ παιδαγωγὸς) nimis artificiose excogitatum atque eo potius referendum esse, ut Plutarchus non ex Herodoto sed ex alio auctore haec desumpserit, Sintenisius [1]) rectissime iam monuit. Sed iam pergamus. Nuntiat igitur Xerxi nuntius ille Themistoclis, Graecos fugam parare et posse regem si, quominus cum exercitu pedestri se coniungerent eos impediturus esset, uno proelio totam Graecorum potestatem navalem perdere. Atque Diodorus quidem et Plutarchus auctores sunt, plurimum valuisse ad timorem Graecorum augendum, quod seiuncti essent ab exercitu pedestri omnesque ut cum eo coniungerentur maxime optasse, Themistoclem autem id ipsum noluisse et regem adhortatum esse, ut Graecos ne id facerent prohiberet, (Plut. cap. XII v. 31 p. 231: καὶ διακελεύεται (Θεμιστοκλῆς) μὴ παρεῖναι φυγεῖν αὐτοῖς, ἀλλ᾽ ἐν ᾧ ταράττονται τῶν πεζῶν χωρις ὄντες ἐπιθέσθαι, Diod. 17, 2. διόπερ ὁ βασιλεὺς . . . ἔσπευδε κωλῦσαι τὰς ναυτικὰς δυνάμεις τῶν Ἑλλήνων τοῖς πεζοῖς στρατοπέδοις πλησιάζειν), quae quidem Herodotus prorsus omisit. Porro vide, quam Diodorus et Plutarchus inter se consentiant ab

1) cfr. Jahnii annal. 1852, pag. 313.

Herodoto autem diversi sint in narrandis eis quae Xerxes nuntio Themistoclis accepto egerit. Dicit enim Diodorus 17, 2: εὐθὺς οὖν τὸ τῶν Αἰγυπτίων ναυτικὸν ἐξέπεμψε προςτάξας ἐμφράττειν τὸν μεταξὺ πόρον τῆς τε Σαλαμῖνος καὶ τῆς Μεγαρίδος χώρας et Plutarchus c. XII, 5: καὶ τέλος εὐθὺς ἐξέφερε πρὸς τοὺς ἡγεμόνας τῶν νεῶν, τὰς μὲν ἄλλας πληροῦν καθ᾽ ἡσυχίαν, διακοσίαις δ᾽ ἀναχθέντας ἤδη περιβαλέσθαι τὸν πόρον ἐν κύκλῳ κ. τ. λ. (ducentas enim illas Plutarchi naves idem valere, quod Diodori Aegyptias nemini dubium erit, si attulero, Aegyptiorum classem ipsam ducentarum navium fuisse, Her. VII, 89: Αἰγύπτιοι δὲ νέας παρείχοντο διηκοσίας), Herodotus contra (VIII, 76) paullo aliter regis consilia describit, neque ullam omnino Aegyptiae classis mentionem facit. Quae deinde a v. 8 p. 232 usque ad finem capitis XII Plutarchus narrat, Aristidem Aegina profectum Themistoclem certiorem fecisse, navibus cingi a barbaris insulas faucesque, apud Diodorum quidem non leguntur, sed tam arcte cum eis quae praecedunt cohaerent, ut ea sola de causa Ephoro adscribenda sint. Tertium ceterum exilium Aristidis hoc loco commemoratur (cfr. cap. V, et cap. XI) sed tam bene in connexum totius narrationis insertum est, ut Plutarchi auctorem et ipsum hoc loco eandem rem scriptam habuisse putare debeamus. Quamquam quidem pro certo hic nondum diiudicari potest utrum Ephorus, item ut Herodotus, (VIII, 79) hoc historiarum loco Aristidem primum nominaverit necne, id certe probatur quod supra (ad cap. XI) diximus, Plutarchum cum afferret, Aristidem Themistocle auctore *ante* pugnam navalem ab Atheniensibus esse revocatum, Ephoro non usum esse. Nam quod hoc loco dicit (v. 11 p. 232): Ἀριστείδης . . ἧκεν ἐπὶ τὴν σκηνὴν τοῦ Θεμιστοκλέους, οὐκ ὢν φίλος, ἀλλὰ καὶ δι᾽ ἐκεῖνον ἐξωστρακισμένος, item ut Herodoti verba (VIII, 79), (ἐξωστρακισμένος δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου) ita solum intelligi possunt, ut Aristides in ipsa pugna Salaminia poena

nondum liberatus fuerit; quod si Plutarchus voluisset, hoc loco, ut alias[1]), aoristo *ἐξοστρακισθείς*, non perfecto *ἐξωστρακιςμένος* usus esset. Quare cum de hac re Herodotus et Ephorus consentiant, non video cur auctori quem cap. XI Plut. secutus est, Aristidem ante pugnam navalem esse revocatum, maiorem fidem habeamus, uti Curtius (h. G. II, 70) et Luchterhandius[2]) voluerunt. Consensus autem qui exstat inter Herodotum et Plutarchum de Aristidis exilio ac reditu scribentes quo referendus sit dubium esse non potest, praesertim cum ne desint quidem, quibus diversi sint. Herodotus enim breviter simpliciterque de sermone Themistoclis et Aristidis scripsit, Plutarchi autem verba legentem non fugiet inesse in Aristidis verbis (cfr. maxime vita Arist. c. 8) maiorem quasi elegantiam et vigorem quendam rhetoricum, ita ut non ex Herodoto ipso, sed Ephori arte oratoria exornata ad Plutarchum ea pervenisse iudicandum sit; neque legitur quidem apud Herodotum quod Plutarchus sub finem c. VIII v. Arist. huius addidit facete dictum. Ea vero quae in vitis Aristidis (c. VIII) et Themistoclis (c. XII) a Plutarcho narrantur, quin eidem fonti debeantur, non est quod dubium tibi esse possit, si obiter modo illa capita perlegeris. Diodorus igitur de hoc Aristidis interventu nihil rettulit, sed alia habet, quibus quod posuimus eum ex Herodoto non hausisse, confirmatur. Primum enim ab illo diversus

1) cfr. Plut. v. Aristid. c. 25, comparat. Arist. et Cat. c. II, 3.

2) Luchterhand, Der staatsmännische Character des Aristides. Progr. Bunzlau 1870. — Quare rectissime Clinton F. H. II, p. 28 sub ol. 74, 2 annotasse mihi videtur »Ostracism of Aristides, for he seems to have been still in exile at the battle of Salamis», de quo loco non recte judicat Welcker in Mus. Rhen. V, pag. 209, annot. 13: »Wie Clinton mit Anführung von Herodot, und ohne Rücksicht auf die Perser des Aeschylus vermuthen kann, dass Aristides zur Zeit der Schlacht von Salamis noch nicht zurückgerufen gewesen sei, ist schwer zu begreifen«

est quod c. 17, 3 ut supra monitum est scripsit, Ionum duces ad Graecos nuntios misisse, qui eos de regis acie et sua defectione inter pugnandum a barbaris facienda certiores redderent; deinde etiam 18, 1 de ordine quo Graecorum et Persarum naves in pugna dispositae fuerint, longe ab Herodoto recedit. Dicit enim Athenienses et Lacedaemonios laevum cornu contra Phoenices, Aeginetas autem et Megarenses dextrum cornu contra Iones occupasse. Herodotus vero (VIII, 85) Athenienses et Lacedaemonios diversis cornibus pugnasse, illos dextro contra Phoenices, hos laevo contra Iones auctor est. Itaque Diodorus et Plutarchus ut inter se prorsus consentiunt, ita ab Herodoto uterque diversus est.

In capite XIII vero Plutarchus primum exponit, Xerxem ineunte certaminis die supra Herculis fanum in sella aurea consedisse, ut uno conspectu classem et aciem oculis terminare posset quod, cum idem Diodorus c. 18, 3 et Herodotus VII, 90 scripserint, non dubitarem Ephoro tribuere, nisi Plutarchus ipse auctores diversarum, quas affert, sententiarum Phanodemum et Acestodorum atthidographos nominaret. Eum vero utrumque illorum evolvisse, non est quod quis in Plutarchi genere scribendi mediocriter modo versatus putet; contra a veritate non nimis aberrare videtur si quis contendit, Plutarchum in hac vita scribenda, ubicunque agebatur de accuratiore descriptione loci alicuius Atticae, eundem auctorem, Philochorum, secutum esse, in cuius libris cum esset ille homo doctissimus et in veteribus scriptis multum volutatus Acestodori quoque et Phanodemi sententias invenisse cogitandus est. Ceterum Acestodori opinio, consedisse Xerxem in confinio Megarae supra eum locum quae cornua vocarentur, reiicienda est, cum quod Diodorus et Herodotus cum Phanodemo consentiunt, tum quod e templo Heraclis omnem pugnae navalis regionem optime patere, Leakius[1]) auctor est. Mirae autem

1) Leake, Demen von Attika p. 213.

narrationis illius, quam Plutarchus inde a v. 30 p. 232 scripsit, tres captivos nobiles, Xerxis sororis filios, Euphrantide vate auctore quia ita Graeci victoriam reportaturi essent Baccho esse immolatos, ipse Phaniam Lesbium nominat testem, addens fuisse eum philosophum neque imperitum rerum memoriae traditarum.

Proelium ipsum denique et eventus a Plutarcho describuntur capitibus XIV—XVII, a Diodoro cap. 18, 19, 27, ab Herodoto lib. VIII cap. 86—93 et c. 110, a Iustino cap. 12—13, a Nepote cap. 4 et 5; inter quos, si accurate conferuntur, ea ratio mihi videtur intercedere, ut trium auctorum relationes ab illis nobis sint traditae, quarum primam Herodotus, alteram Plutarchus et Diodorus, tertiam Iustinus et Nepos servaverint. Ac primum quidem Plutarchus postquam in cap. XII exposuit Themistoclem propter naturam loci maxime voluisse, ut ad Salaminem insulam decertaretur (v. 24 p. 231: *εἰ τὴν ἀπὸ τοῦ τόπου καὶ τῶν στενῶν προέμενοι βοήθειαν,* v. 17 p. 232: *ὅπως ἐν τοῖς στενοῖς ναυμαχήσωσιν*) in c. XIV addit (v. 26 p. 233): *Δοκεῖ δ'οὐχ ἧττον ἓυ τὸν καιρὸν ὁ Θεμιστοκλῆς ἢ τὸν τόπον συνιδών κ. τ. λ.* Nonne igitur haec duo capita ad eandem, atque eam quidem bene dispositam totius pugnae descriptionem, inter quam capitis XIII narratiunculae insertae sint, pertinere videntur? Nam quod Plutarchus ineunte capite XIV Aeschylum testem laudat, inde colligi nequit eum poëtam illum re vera evolvisse, pertinent potius versus illi ad Ephorum discipulum Isocratis, quem historias saepius versibus illustrasse ut tibi probem, ad pauca fragmenta eius animum advertisse sufficiet, cfr. frgmt: 29, 45, 53, 59, 63, 76, 87, 105, 121, 155. Quodsi de numero navium Atheniensium bene convenit inter Plutarchum et Herodotum, qui et ipse VIII 44 affert 180 naves Athenienses pugnae navali interfuisse, hic tamen non scripsit duodevinginti in singulis navibus fuisse classiarios, neque ventum a mari ortum Graecis saluti Persis

autem perniciei fuisse, ullo loco commemoravit [1]) Pugna ipsa vero Plutarcho teste oritur, ut in Homericis carminibus fieri solet, a singulorum certaminibus, atque a Graecorum quidem parte primum impetum faciunt Aminias et Socles, a Persarum Ariamenes dux, cuius mors gloriae plena fusius a Plutarcho (v. 5 p. 234 — fin. cap.) exponitur. Atque apparet, si Plutarchum cum Herodoto et Diodoro comparamus, ex Herodoto quidem, uti Wolfius alii voluerunt, Plutarchum non hausisse, quia quaecunque in hoc capite leguntur in Herodoti libris frustra quaeres. Neque Diodorus quidem tam longus est quam Plutarchus, sed quae habet sufficiunt ad demonstrandum, eundem fontem ab utroque esse descriptum. Uterque enim dicit a Graecorum parte Aminiam initium fecisse pugnandi, (Plut. cap. XIV. Diod. c. 27, 2), a Persarum autem ducem Ariamenem, quamquam *nomen* eius Diodorus non scripsit, (Diod. c. 18, 5 et c. 27, 2) atque hunc quidem ab Atheniensi esse necatum. Plutarchus deinde summis laudibus effert Persarum ducem, quem dicit strenuum fuisse et inter fratres regis longe praestantissimum, qui virtute sua dignam obierit mortem [2]). Quo quamquam brevior est Diodorus eodem tamen auctore niti putandus est quod dicit c. 18, 5: *ὁ δὲ ναύαρχος προηγούμενος τῆς τάξεως, καὶ πρῶτος συνάψας μάχην διεφθάρη λαμπρῶς ἀγωνισάμενος.* Herodotus contra longe ab eis recedit, neque enim scripsit Ariabigenem (ita Plutarchi Ariamenem dicit) a parte Persarum initium fecisse pugnandi, neque mortem et certamen eius gloriae plena fuisse aut ab Aminia eum esse interfectum ullo verbo commemo-

---

1) Leake, l. l. pag. 203, Plutarchi illud in dubitationem vocat. — cfr. etiam Schol. ad Arist. orat. Tom. III pag. 647. Dind.

2) Cfr. mor. p. 488 F: *παρεῖχεν εὔνουν ἑαυτὸν* (Xerxi) *ὥστε ἀριστεύων ἐν τῇ περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίᾳ πεσεῖν ὑπὲρ τῆς ἐκείνου δόξης.*

rat[1]), quamquam et ipse Aminiam inter eos numerat qui fortissime pugnaverint (VIII, 93). Consentiunt deinde Plutarchus et Diodorus et diversi sunt ab Herodoto, quod Aminias a Plutarcho dicitur *Δεκελεύς* et a Diodoro (c. 27, 2) *ἀδελφὸς Αἰσχύλου τοῦ ποιητοῦ,* ab Herodoto autem (VIII, 93) *Παλληνεύς*. Aeschylus enim poeta e tribu erat Hippothontide[2]), tribus vero Hippothontidis demus erat *Δεκέλεια*; non e Pallenensi igitur qui Antiochidis erat demus Aminiam, Aeschyli fratrem, fuisse verisimile est. Neque minus denique Herodotus a Plutarcho et Diodoro dissentit in narrandis rebus fortiter ab Artemisia, Halicarnassensium regina, gestis. In Diodori enim bibliotheca ne nomen quidem eius exstat, neque Plutarchus nisi uno loco (sub fin. cap. XIV) eam commemoravit, cum Herodotus ita aliis omnibus Persarum ducibus eam anteponat, ut ipse VIII, 87 dicat: „*Κατὰ μὲν δὴ τοὺς ἄλλους οὐκ ἔχω μετεξετέρους εἰπεῖν ἀτρεκέως ὡς ἕκαστοι . . . ἠγωνίζοντο, κατὰ δὲ Ἀρτεμισίην τάδε ἐγένετο*, et quatuor deinceps capitibus laudibus eam exornet. Haec vero non casu a Diodoro et Plutarcho esse omissa, sed in ipso fonte Artemisiam primum locum inter duces *non* obtinuisse, inde colligo quod in libello de mal. Her. scripto Plutarchus, cum in laude illa Artemisiae offendat, dicit (c. 38): *Ἔτι δὲ μᾶλλον τῶν Ἑλλήνων καταγελῶν, Θεμιστοκλέα μὲν οὔτε φησὶ φρονῆσαι τὸ συμφέρον . . . . Ἀρτεμισίαν δὲ, τὴν Ἡροδότου πολῖτιν, μηδενὸς διδάξαντος, αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς ἐπινοήσασαν Ξέρξῃ προειπεῖν ὡς* κ. τ. λ. et paragrapho altera: *Ταῦτα μὲν οὖν μέτρων ἐνδεῖ τῷ Ἡροδότῳ Σίβυλλαν ἀποφῆναι τὴν Ἀρτεμισίαν* et quae sequuntur.

Quodsi quae in capite XV Plutarchi inde ab initio usque ad v. 27 p. 234: *οἱ δ' ἄλλοι* leguntur ex alio fonte inserta sunt de quo postea videbimus, verba autem: *οἱ δ' ἄλλοι τοῖς βαρβάροις ἐξισούμενοι τὸ πλῆθος*

1) Verba eius sunt VIII, 89: *Ἐν δὲ τῷ πόνῳ τούτῳ ἀπὸ μὲν ἔθανε ὁ στρατηγὸς Ἀριαβίγνης ὁ Δαρείου.*

2) Cfr. Sintenis, ed. Themistoclis Plutarchei p. 102.

ἐν στενῷ κ. τ. λ. optime eis quae sub finem cap. XIV de ducis Persarum certamine leguntur se adnectunt. Quae ne ex Herodoto fluxisse putemus, Plutarchus ipse Simonidem nominat auctorem in cuius carmine, *ναυμαχία Ξέρξου* sive *ἡ ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχία*[1]) inscripto, postrema capitis XV verba exstitisse cum satis magna probabilitate Sintenisius[2]) posuit. Ceterum putaverim Ephorum (ex eius libris enim Plutarchus Simonidis nomen desumpsit) ipsos versus Simonidis scriptos habuisse; verba enim (v. 31) *τὴν καλὴν ἐκείνην καὶ περιβόητον ἀράμενοι νίκην*; et *ἧς οὔθ' Ἕλλησιν οὔτε βαρβάροις ἐνάλιον ἔργον εἴργασται λαμπρότερον* poetae esse, quis non videt? Neque a Diodori auctore alienum fuisse Graecos et Themistoclem ob hanc victoriam laudibus celebrare, quisquam negabit, qui comparaverit verba eius 19, 3: *οἱ μὲν Ἕλληνες τοῦτον τὸν τρόπον προτερήσαντες ἐπιφανεστάτῃ ναυμαχίᾳ τοὺς βαρβάρους ἐνίκησαν*; et 19, 5: *Θεμιστοκλῆς δὲ δόξας αἴτιος γενέσθαι τῆς νίκης,* cum Plutarcheis quae attuli et cum eis quae leguntur (s. fin. c. XV): *ἧς οὐκ ἔργον εἴργασται λαμπρότερον ἀνδρείᾳ τῶν ναυμαχησάντων, γνώμῃ δὲ καὶ δεινότητι Θεμιστοκλέους*. Neque quod idem addit (19, 3) periisse in pugna navali 40 naves Atheniensium, Persarum plus quam 200 Herodotus scripsit, quare id quoque quod sequitur 19, 4: Phoenices, cum primi fugam capessivissent, poenam imminentem veritos noctu in Asiam cursum vertisse, Ephoro tribuendum est, quamquam Herodotus (VIII, 90) de hac re prorsus cum Diodoro congruit.

Capite XVI deinde Plutarchi, alterum illud Themistoclis strategema exponitur, in quo narrando quanta sit huius capitis et vitae Arist. cap. IX necessitudo, legentibus relinquo investigandum. Atque cum Plutarcho Diodorus prorsus consentit, nisi quod hic quidem Themistoclem misisse liberorum praeceptorem, Plutarchus au-

1) Cfr. Schol. ad. Aristoph. Vesp. v. 1402, et ad Apoll. Rhod. I, v. 211.

2) Sintenis l. l. p. 106.

tem Arnacen quendam captivum testis est. Quod quin soli Diodori negligentiae tribuendum sit, dubium non est, quia alias ad verbum paene illi consentiunt, ut nisi de communi eorum fonte cogitare non liceat. Confer modo Diodori verba (19, 6): *Θεμιστοκλῆς . . . ἀπέστειλε πρὸς τὸν Ξέρξην δηλώσοντα διότι μέλλουσιν οἱ Ἕλληνες πλεύσαντες ἐπὶ τὸ ζεῦγμα λύειν τὴν γέφυραν. διόπερ ὁ βασιλεὺς . . . . περίφοβος ἐγένετο . . .,* *ἔγνω δὲ τὴν ταχίστην διαβαίνειν ἐκ τῆς Εὐρώπης εἰς τὴν Ἀσίαν* cum Plutarchi (v. Them. c. XII) *πέμπει . . . φράζειν βασιλεῖ κελεύσας, ὅτι τοῖς μὲν Ἕλλησι δέδοκται . . . ἀναπλεῖν εἰς τὸν Ἑλλήσποντον ἐπὶ τό ζεῦγμα καὶ λύειν τὴν γέφυραν . . . . ταῦθ᾽ ὁ βάρβαρος ἀκούσας καὶ γενόμενος περίφοβος διὰ τάχους ἐποιεῖτο τὴν ἀναχώρησιν,* et v. Arist. c. IX et X: *πέμπει Ἀρνάκην . . . φράσαι τῷ βασιλεῖ κελεύσας ὅτι πλεῖν ἐπὶ τὰς γεφύρας ὡρμημένους τοὺς Ἕλληνας . . . . ἐκ τούτου Ξέρξης μὲν περίφοβος γενόμενος εὐθὺς ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἠπείγετο.* Nam quod Diodorus dicit, quadringenta milia militum cum Mardonio esse relictos, Plutarchus autem Arist. c. 10: *Μαρδόνιος . . . ἔχων περὶ τριάκοντα μυριάδας ὑπελείπετο*, non diversorum fontium sed Diodori aut librariorum negligentiae esse, inde apparet quod Diodorus ipse de hac re secum pugnat. Cum enim hoc loco dicat: *ὁ σύμπας ἀριθμὸς ὑπῆρχεν οὐκ ἐλάττων τῶν τετταράκοντα μυριάδων,* et 28, 4. auctor sit, accessisse ad illum numerum *ἐκ τῆς Θρᾴκης καὶ Μακεδονίας καὶ τῶν ἄλλων τῶν συμμαχίδων πόλεων πλείους τῶν εἴκοσι μυριάδων*, tamen (30, 2) Mardonii exercitum in pugna Plataeensi quingentorum milium militum (*ἦν δὲ ὁ σύμπας ἀριθμὸς τῶν μὲν Ἑλλήνων εἰς δέκα μυριάδας τῶν δὲ βαρβάρων εἰς πεντήκοντα*) fuisse scripsit.

Quantus igitur exstet inter Plutarchum et Diodorum consensus vidimus, Herodotus autem paullo aliter rem evenisse narrat. Audimus enim (VIII, 108) Themistoclem in consilio ducum censuisse, pontem quem Persae in

Hellesponto fecissent esse delendum exercitumque regis fame et ferro opprimendum, Eurybiadem vero reliquosque duces, cum quantum inde Graecis redundare posset periculum vidissent, Themistoclis consiliis obstitisse; itaque illum, cum intellexisset Athenienses solos id perficere non posse, ipsum cives dehortatum esse, ne Persis fugam intercluderent, regique nuntium illum misisse. Diodorus denique et Plutarchus scripserunt Xerxem Themistoclis nuntio accepto quam celerrime[1]) fugam ad Hellespontum parasse, ab Herodoto contra audimus, eum proelio facto fugam meditatum esse, timentem ne Graeci pontem dissolverent, sed id consilium celasse et a Mardonio demum commotum esse, ut cum parte exercitus in Asiam reverteretur.

Sed haec quidem hactenus. Satis eis quae attuli probasse mihi videor Plutarchum et Diodorum eodem fonte niti, neutrum vero Herodoti libros in usum suum convertisse; quare nunc, quae de Iustini et Nepotis fontibus in promptu habeo mihi afferenda sunt. Supra iam vidimus, esse cur putaremus, Iustinum inde a verbis: „namque Athenienses post pugnam Marathoniam" sequ. (c. 12, 12) Theopompo usum esse, neque minus reliqua quae habet de pugna navali ita comparata sunt, ut neque ex Ephoro neque ex Herodoto fluxisse possint. Causam enim qua Themistocles commotus sit ut ante pugnam nuntium ad Xerxem mitteret, Iustinus diversam ab Herodoto et Ephoro exhibet, cum dicat 12, 19: „qui cum deserto bello ad sua tuenda dilabi vellent, timens Themistocles *ne discessu sociorum vires minuerentur*, per servum fidum Xerxi nuntiat" sequ. Videtur igitur Iustini vel Trogi Pompeii auctor rem ita intellexisse, ut Themistocles ipse de relinquendis fretis Salaminiis non cogitasset, sed etiam post sociorum discessum pugnam

1) Diod. 19, 6. *ἔγνω τὴν ταχίστην διαβαίνειν ἐκ τῆς Εὐρώπης.* Plut. v. Them. c. XVI. *διὰ τάχους ἐποιεῖτο τὴν ἀναχώρησιν;* v. Arist. c. X: *εὐθὺς επὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἠπείγετο.*

imparem inire voluisset; atque idem fortasse in Nepotis verbis inest, apud quem c. IV, 3 legimus: „Themistocles unus restitit et universos pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros." Deinde Diodoro et Plutarcho testibus Themistocles Xerxem commovit ad pugnam ineundam quod ei nuntiaverat „Graecos facile vinci posse, quia seiuncti essent ab exercitu pedestri" et Herodoto teste „quia, cum inter se dissentirent, nonnulli ad Persarum partes defecturi essent", Iustinus contra eum nuntiantem facit: „uno in loco eum contractam Graeciam capere facillime posse. Quodsi civitates, quae iam abire vellent, dissipentur, maiore labore ei singulas consectandas", atque plane cum eo consentiens Nepos scripsit c. IV, 3: „servum ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios eius in fuga esse; qui si discessissent, maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, cum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum."

Favet autem huic sententiae, inesse in Nepotis capite IV vestigia Theopompea, quod supra capita I et II eidem tribuimus, caput III autem ita sine verborum et sententiarum nexu insertum esse diximus, ut ad eundem fontem referri nequiret; nam quae ineunte cap. IV legimus: „At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit astu idque nullis defendentibus interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit", ipsa postrema capitis II verba excipiunt: „arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt." Sacerdotes autem in arce esse relictos, praeter Nepotem nemo scripsit [1]). Porro vide quam diversus sit ab Ephoro Iustinus quod de Artemisia, quam summis laudibus prae aliis omnibus et ipse effert, dicit: „quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres", ut suo

1) Cfr. Nipperdey l. l. p. 21.

iure aliquis inde concludere posset, Trogum Herodoti vestigia pressisse, qui VIII, 88 Xerxem exclamantem facit: *οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες.* Sed quae proxime sequuntur apud Iustinum (12, 25), Iones in proelio defecisse eorumque defectione ita animos ceterorum fractos esse, ut ea maxime de causa victoria a Graecis esset reportata, ab Herodoto aliena sunt, quippe qui (VIII, 90) Iones sub ipsis oculis Xerxis fortissime pugnasse testis sit. Neque magis haec fluxisse possunt e Diodori fonte, ut qui cap. 19, 4. *Phoenices* non Iones primariam Persarum cladis causam fuisse, exhibeat. In cap. XIII. Iustini rursus oratio quam Mardonium Xerxi habentem facit cum Herodotea (VIII, 100) prorsus congruit, sed quae sequuntur, (13, 5) quomodo factum sit, ut Xerxes dolo Themistoclis commotus quam celerrime Hellespontum petiverit, neque ex Herodoto neque ex Ephoro desumpta esse possunt. Legimus enim Graecos audita regis fuga consilium cepisse pontem interrumpere, Themistoclem vero timentem ne interclusi hostes desperationem in virtutem verterent, cum illos consilio vincere non potuisset, Xerxem nuntio misso ut Graecorum consilia fuga praeverteret commovisse. Quid? quod Iustinus rhetorico quodam elatu Persarum expeditionis exitum et calamitatem prosecutus 13, 10 scripsit, tradidisse Xerxem ducibus milites perducendos, ipsum cum paucis Abydum contendisse, unde cum pons tempestatibus esset solutus scapha piscatoria traiecisset, cum Herodoto facit, qui (cfr. VIII, 118: *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος ὅδε λόγος λεγόμενος κ.τ.λ.*) simili ratione Xerxis postremam sortem descripsit. Nihilominus illa ex Herodoto ipso a Trogo desumpta esse non puto; primum quod Herodotus hanc narrationem secundo loco ponit, et c. 119 addit eam nulla fide dignam esse, deinde quod Iustini illud, Xerxem accepto Themistoclis nuntio illico milites ducibus tradidisse, apud Herodotum non legitur, qui ad Strymonem demum Xerxem exercitum reliquisse testis est, denique quod

Iustini exclamationes rhetoricae de incerta sorte humana et rerum varietate ut ab Herodoto alienae sunt, ita ad oratorem potius spectant.

Sed hic subsistendum et ad Plutarchum revertendum est, nam quae cap. XVII hic narrat, virtutis palmam inter civitates Aeginetas reportasse, Themistocli omnes quidem rei bene gestae gloriam tribuisse, Lacedaemonios autem Spartam eum abduxisse ibique Eurybiadi fortitudinis, illi sapientiae praemium tribuisse, neque Iustinus nec Nepos memoriae tradiderunt. Atque Diodori quidem auctor Herodotus fuisse nequit, qui quidem et ipse scripsit (c. 93 et 122) Aeginetas primas reportasse, sed omisit Lacedaemoniorum maxime auctoritate et invidia factum esse, ut tale suffragium a Graecis latum sit, neque magis scripsit Themistoclem, quia honoribus a Lacedaemoniis esset elatus, ab Atheniensibus imperatoris loco motum et Xanthippo imperium traditum esse. Plutarchus autem magnam prae se fert et verborum et rerum cum Herodoto similitudinem, unde praesertim cum ipse Herodotum auctorem nominet facile quis concluserit, Diodorum quidem ex Ephoro, Plutarchum autem ex Herodoto hausisse. Sed primum quod Plutarchus ipse Herodotum testem affert, nisi alia multa accedunt, prorsus nihil valet, deinde ne difficile quidem est demonstrare, unde Halicarnassensis nomen in Plutarchi verba irrepserit. Scholiasta enim ad Pind. Isthm. V. v. 63 adscripsit: *ὑπαινίττεται τὴν περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν τῶν Ἑλλήνων, ἧς ἔλαβον τὰ ἀριστεῖα οἱ Αἰγινῆται καθά φησιν Ἡρόδοτός τε καὶ Ἔφορος*", unde, quae est veterum laudandi consuetudo, certissime apparet, Ephorum ipsum hoc loco Herodoti nomen ad fulciendam suam sententiam in verba recepisse Plutarchum vero, ut qui rarissime fontem primarium nominet, solum Herodoti nomen servasse. Neque aliam quidem inter eos intercedere rationem cogitari potest, Plutarchus enim, cum in secundo versu Herodoti auctoritate niti videatur, in ipso tertio (*Θεμιςτοκλεῖ . . τὸ πρωτεῖον ἀπέδοσαν*

ἅπαντες) illi contraria affert, qui apertis verbis affirmat (VIII, 124): *ὅτι δὲ νικῶν οὐκ ἐτιμήθη* (Themistocles) *πρὸς τῶν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχησάντων.* Quod denique Plutarchus cum Herodoto congruenter scripsit, Themistoclem a Lacedaemoniis summis honoribus esse celebratum, non alienum fuisse a Diodori auctore, e verbis eius (27, 3) quamvis brevis sit: *οἱ Λακεδαιμόνιοι φοβηθέντες μήποτε Θεμιστοκλῆς . . . . ἐτίμησαν αὐτὸν διπλασίοσι δωρεαῖς τῶν τὰ ἀριστεῖα εἰληφότων*, satis clare elucet. Bene igitur egit Plutarchus quod totam fere pugnae navalis descriptionem e Cumaeo hausit pauca tamen ex alio scriptore petita narrationi eius inseruit; nam quae ineunte capite XV legimus in ipsa pugna effulsisse lumen ab Eleusine Thriasiamque planitiem clamore et sonitu fuisse expletam quasi Bacchum e sacello suo Eleusina deducentium, non ad Ephorum, sed Atheniensem quendam scriptorem pertinere, unusquisque videt. Neque Plutarchus, ut ut pauca de pugna navali scripsit, facere non potuit, quin sibi ipse adversaretur, nam quod dicit (v. 25 seq.) Lycomedem Atheniensem primum in hoc proelio hostilem navem cepisse, cum eis consociari nequeunt quae in capite XIV de Aminiae virtute exposuit; quamquam enim illo loco diserte non addit, Aminiam navem hostilem cepisse, tamen ita cum Diodoro congruit, ut id quoque in Plutarchi fonte exstitisse putare debeamus. Accedit quod Plutarchus, vel auctor eius, insignem errorem commisisse videtur, cum quae ad Artemisium facta sunt, ad pugnam Salaminiam transferret. Nimirum in navali ad Artemisium pugna primum Lycomedem navem cepisse affirmat Herodotus VIII, 11. Quare, cumque ex peculiari Athenarum urbis cognitione profectum esse videtur, quod dicit Plutarchus, (v. 27) fuisse apud Phlyenses templum Apollinis laurigeri, in quo Lycomedes insignia navis Persicae suspendisset, etiam hoc loco vestigia Philochori Atthidographi

---

1) Müller, fragm. h. G. I p. 265, 112.

cognoscere mihi videor; quamquam libenter concedo, Philochorum ut nominem, aliam nullam me in promptu habere causam, quam gravissimam illam, quod Plutarchum e paucis scriptoribus singulas vitas conscripsisse constat.

Haec habui quae dissererem de fontibus prioris partis vitae Themistocleae. Capita autem quae sequuntur inde a XIX pertinent ad eam historiae Graecae partem, quam grammatici *πεντηκονταετίαν* dixerunt, ad quinquaginta illos annos intercedentes inter bellum Persicum et Peloponnesiacum qui quam non sint certis testimoniis scriptorum definiti, vel mediocriter in historia versatum non fugit. Herodotus enim postquam victorias ad Plataeas et Mycalen reportatas descripsit, finem facit historiae, neque Thucydides nisi digressione illustrissima illa quidem sed brevi tantum et adumbrata (lib. I cap. 80—117) res a Sesti obsidione usque ad initia belli Peloponnesiaci gestas persecutus est. Quare nobis Herodotus aut libellus ille de malignitate Her. scriptus, in quorum locum Thucydides succedit, non diutius in comparationem vocandi sunt, neque id amplius agendum est, ut accurata comparatione Diodori cum Thucydide instituta, Siculum ex hoc non hausisse probemus, quia eo munere alii satis diligenter functi sunt; sufficit potius Plutarcho cum Thucydide et Diodoro collato demonstrasse, eum non Thucydide, sed communi cum Diodoro fonte usum esse, alia quae ad historiam ipsam non pertineant, ex uno duobusve aliis fontibus hausisse.

Atque exponit quidem Plutarchus capite XIX inde a verbis, *Γενόμενος δὲ ἀπὸ τῶν πράξεων ἐκείνων εὐθὺς ἐπεχείρει τὴν πόλιν ἀνοικοδομεῖν καὶ τειχίζειν*, Themistoclis consilio et calliditate factum esse, ut contemptis omnibus Lacedaemoniorum adversantium rationibus Atheniensium urbs muris circumdaretur. Quocum si Thucydidem et Diodorum comparaverimus primum edocemur, quo pertineant Plutarchi verba negligentissime scripta, *γενόμενος ἀπὸ τῶν πράξεων ἐκείνων*, quae quin ad

narratiunculas capitis quod praecedit *non* referenda sint nemini profecto dubium esse potest. Dicit enim Thuc. I. 89: *Ἀθηναίων δὲ τὸ κοινόν, ἐπειδὴ αὐτοῖς οἱ βάρβαροι ἐκ τῆς χώρας ἀπῆλθον, διεκομίζοντο εὐθὺς ὅθεν ὑπεξέθεντο παῖδας καὶ γυναῖκας καὶ τὴν περιοῦσαν κατασκευήν, καὶ τὴν πόλιν ἀνοικοδομεῖν παρεσκευάζοντο καὶ τὰ τείχη;* atque eisdem fere verbis usus Diod. c. 39, 1 scripsit: *μετὰ δὲ τὴν ἐν Πλαταιαῖς νίκην, μετεκόμισαν . . . . εὐθὺς δὲ καὶ τὴν πόλιν ἐπεχείρησαν τειχίζειν,* quibuscum prorsus consentit Plutarchus dicendo: *εὐθὺς ἐπεχείρει τὴν πόλιν ἀνοικοδομεῖν καὶ τειχίζειν.* Neque minus in reliquis de muris aedificandis allatis ad verbum saepe Diodorus et Plutarchus cum Thucydide conspirant. Ut vero sunt quibus prohibeamur ne Thucydidem Diodori auctorem fuisse putemus, ita ne Plutarchum quidem illius vestigia pressisse ponere licet, quia quod v. 5. p. 238 exhibet missum esse ab Aeginetis Polyarchum, qui Athenienses quod muris urbem munirent Spartae accusaret, a Thucydide scriptum non est; his verbis autem fusius expositum esse Thucydidis illud: (ineunte c. 90) *τὸ δὲ πλέον τῶν συμμάχων ἐξοτρυνόντων,* recte Piersonius[1]) monuit. Quo quod certius haberi potest argumentum a Plutarcho non usurpatum esse Thucydidem, sed Ephorum, quem constat „Thucydide quodammodo fundamento usum esse et populi narrationes inscriptionesque respexisse, eaque quae cum illo discrepantia tradiderit, ex hoc fonte sumpsisse“?[2]) Nam ne de Theopompo cogitemus, Plutarchus opinioni eius: „Themistoclem pecunia ephoros commovisse, ne muris aedificandis se opponerent“, id quod *οἱ πλεῖστοι* (ita enim saepe fontem primarium dicit) rettulerint, opponit. Contra si cum his Iustinum et Nepotem comparamus, in hac quoque narrationis parte ea inter

1) Pierson, Die thukydideische Darstellung der Pentacontaetie cet. in Philol. XXVIII p. 40 seq.

2) Stelkens, l. l. p. 15. Collmann, l. l. cap. I.

eos intercedere videtur ratio, ut illi, cum inter se prorsus congruant, ita a Thucydide et Diodoro Plutarchoque diversi sint, ut neque ex illo neque ex Ephoro eos hausisse cogitari possit[1]. Thucydides enim (c. 90, 1) Lacedaemonios duabus causis commotos Athenas legatos misisse auctor est; cum quia pro consuetudine rationibusque, quas in vita et republica gerenda sequebantur, incommodum et inutile eis esse videbatur urbem ullam muris circumdari; tum quia a sociis Atheniensium potestate et auctoritate perterritis ut intercederent impulsi erant. Nepos autem quamquam priorem illam causam et ipse ille quidem commemorat, tamen primariam et veram fuisse dicit, quod Lacedaemonii odio et invidia commoti veriti essent ne de principatu cum eis certamen sibi foret; quam *solam* fuisse causam legationis etiam Iustinus (15, 2.) scripsit. Porro vide, quantum Nepos a Thucydide recedat, quod Lacedaemoniorum legatos muros aedificari *vetantes*, et Themistoclem Atheniensibus dicentem facit „ne ulli loco parcerent, sive sacer sive profanus esset“, unde factum esse addit, „ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent“; talia a quieta Thucydidis narratione longe recedunt. Alia quibus diversi sunt Nipperdeius verbis Nepotis adscripsit, quae hic afferre supervacaneum est, quamquam vir ille doctissimus errasse mihi videtur, quod dicit, sequi Nepotem eundem quem Plutarchus et Diodorus fontem. Cum Diodori enim narratione Nepotis nullo modo conferri potest, quia de summa rerum prorsus inter se differunt, quamquam singula quidem, quibus Nepos a Thucydide recedit, cum Diodoro ei conveniunt. Sed sunt etiam de quibus neque cum Thucydide neque cum Diodoro Nepos consentiat. Diodorus enim et Thucydides eo quidem diversi sunt, quod hic Themistoclem simul cum collegis, ille solum primum Spartam facit proficiscentem, uterque

1) Niperdeius Nepot. ed. mai. p. 21 et Ephorum et Thucydidem Nepotis auctores fuisse putat.

autem narrat, reliquos legatos, postquam Spartam venissent, ibi mansisse et cum Themistocle demum Athenas esse remissos. Nepos contra ita rem intellexit ut dicat, Themistoclem, antequam Lacedaemoniorum magistratus adiret, collegas domum remisisse, et per eos ut Lacedaemoniorum legatos detinerent postulasse; atque idem in Iustini fonte exstitisse inde apparet, quod Lacedaemonios Themistoclem solum domum remittentes facit; cfr. verba eius: „sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, a civibus excipitur.“ Maioris etiam momenti est, quod oratio quam Nepos Themistoclem apud Lacedaemonios facit habentem a Diodoro non commemoratur, cum Thucydidea autem (c. 91) aliquo modo et in universum illa quidem congruit, singulis vero ita ab ea recedit, ut Thucydidis vestigia Nepos nullo modo secutus esse possit. Nam quod narrat, Themistoclem Lacedaemoniis crimini vertisse, quod ipsorum solum salutem et potestatem spectantes quid universae Graeciae utile esset prorsus negligerent, et minatum esse, nisi ipsum incolumem dimitterent, eos nunquam legatos in patriam esse recepturos, neque apud Thucydidem leguntur, neque omnino in eius narratione locum habere possunt. (cf. Nipperdey l. l. pag. 26) Contra si cum Nepote comparaveris, quae Iustinus 15, 9—12 Themistocli tribuit: „permunitas Athenas esse,... si quid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos. Graviter deinde castigat eos, quod non virtute sed imbecillitate sociorum potentiam quaererent“, quin e communi fonte illi hauserint dubium esse non potest. Apparet igitur Diodorum, Plutarchum, Iustinum, Nepotem aliquam praebere cum Thucydide similitudinem, sed non eam, ut illum pro fonte primario cuiusquam eorum habere possimus. Deinde quae Diodorus et Plutarchus narrant diversa sunt ab eis quae Nepos et Iustinus protulerunt, certa autem adsunt argumenta cur Diodori narrationis *Ephorum* fontem primarium fuisse putemus; scimus denique in universum Iustinum vel Tro-

gum Pompeium et Nepotem Theopompi maxime vestigia pressisse (cuius rei exempla attulerunt Frickius, Stedefeldius Gutschmidius), quibus de causis non vereor, ne nimis a veritate aberrem, si Diodorum et Plutarchum Ephoro, Nepotem et Iustinum Theopompo in narranda murorum Atheniensium aedificatione usos esse statuam.

Annectit his Plutarchus (inde a v. 13 p. 235) quae habet de Piraeo portu Themistocle auctore munito, atque ita quidem hanc rem describit, quasi tunc primum in mentem Themistocli venisset Piraeum portum simulque tutissimum praesidium constituere, quamquam cum apud omnes constat tum Thucydides gravissimus testis est (I, 93) hoc opus inceptum esse *archonte* Themistocle. Quo quidem anno ille summo magistratu functus sit, controversia est inter homines doctos. Cum vero a solo Dionysio (archaeol. romanae VI. 34) certus annus nobis traditus sit, (fuisse eum archontem anno a. Chr. n. 493/2), neque ullo praeterea loco, quo archontes atticos notavit, Dionysius parum accuratum se praebuerit[1]), neque ullo veterum testimonio Dionysii illud refutetur, cum Boeckhio, Dunckero, Curtio[2]) hic annus ab auctore fide digno traditus retinendus est, contra Clintonem[3]), qui anno 481 Themistoclem archontem fuisse scripsit, quia non recte, ut videtur, scholiastae (ad Thuc. I. 93) verba intellexit[4]). Eundem scholiasten secutus Grote (history of Gr. V. 334) non quo anno Themistocles archon, sed quo *στρατηγός* fuit, opus inceptum esse vult, sed hoc propter Thucydi-

1) A. Schäfer, de rerum post bellum Persicum usque ad tricennale foedus in Graecia gestarum temporibus p. 13.

2) Boeckh, commentat. acad. Berol. 1827 p. 131 seq. Duncker, hist. antiqu. IV, 652. Curtius, h. G. II, p. 17 et p. 728, annot. 10. et p. 730. annot. 17.

3) Clinton, fasti Hellenici II. p. 28.

4) Dicit enim p. XVIII. l. l.: Why then schould we reject the testimony of the Scholiast, who affirms that Themistocles was archon te year before the Median war — *πρὸ δὲ τῶν Μηδικῶν ἦρξεν ἐνιαυτὸν ἕνα* — when it is in entire conformity with Thucydides upon the subject?

dem fieri nequit, qui l. l. non de strategia, ut ita dicam, sed de archontum magistratu loquitur[1]). Haec igitur falso a Plutarcho relata esse constat; sed mirum est, quod Diodorus quoque eadem falsa temporum ratione atque eisdem verbis paene usus, hanc rem profert. Dicit enim 41, 2: *τοῦ γὰρ καλουμένου Πειραιῶς οὐκ ὄντος λιμένος κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους . . . ἐπενόησε τὸν Πειραιᾶ κατασκευάζειν λιμένα.* De communi igitur fonte dubitari nequit, atque ita rem se habere cogitare debemus, ut auctor ille communis, Ephorus, aut et ipse rem falso intellexerit, aut Piraeum portum esse constitutum hoc demum narrationis loco repetiverit et cum reliquis a Diodoro et Plutarcho hoc loco de Themistocle narratis tam arcte coniunxerit, ut facile inde error eorum nasci posset. Possit aliquis cogitare, quia certum aliquod de Themistocle iudicium, neque benevolentissimum, huius rei narrationi a Plutarcho subiungatur (cfr. v. 15 seq. et v. 24 seq. p. 238) de Theopompo, non de Ephoro, ut qui sine ira et studio scripserit, esse cogitandum; hoc vero fieri nullo modo potest. Nam capite quarto prorsus simili digressione in universum de Themistoclis rei publicae gerendae ratione, ut quae veteri usque ad id tempus exercitatae opposita fuerit, iudicari vidimus. Quare quae his duobus locis a Plutarcho narrantur, ex eodem fonte nullo modo hausta esse possunt. Quî enim cogitari potest rerum scriptorem, qualis erat Ephorus aut Theopompus, qui in describendis rebus a Themistocle archonte gestis longiore digressione de via quam ille in gubernanda civitate ingressus esset disputasset, paulo post, cum de classe aedificata dissereret, eandem cantilenam cecinisse? Itaque si recte cap. IV e Theopompo haustum esse posuimus, hoc loco Plutarchus nisi Ephorum ante oculos habuisse non potest; id

1) Totam hanc quaestionem difficillimam omni ex parte rectissime, ut mihi quidem videtur, solvit A. Schäfer in dissertatione supra commemorata.

quod ea ipsa de causa verisimillimum est, quia cum Diodoro prorsus consentit. Si vero hoc demum loco Ephorum de Themistoclis reipublicae capessendae disciplina locutum esse ponimus, sumamus etiam necesse est, priore aliquo historiarum eius loco occasionem huius rei commemorandae ei praesto non fuisse, atque videri Ephorum, quae *ante* bellum a Xerxe illatum in Graecia gesta erant — aedificationem classis, Aristidis et Themistoclis de re publica dissensiones et qui inde evenerit, Aristidis ostracismum — non scripta habuisse, sed bella Persica inde ab itinere Xerxis per Thraciam Graeciamque facto demum accuratius tractasse, quae *ante* hoc tempus a Themistocle in Graecia gesta erant, posteriore aliquo loco uno tenore breviter comprehendisse. Atque ita rem se habere ut putemus, alias causas e Diodori et Plutarchi scriptis afferre posse mihi videor. Primum enim in Diodori bibliotheca ante pugnam Salaminiam classem ab Atheniensibus esse aedificatam nullo verbo dictum est; c. 43, 3 contra auctor est, Themistoclem anno 477 populo persuasisse ut viginti quotannis triremes fabricarent, cum Herodotus, Thucydides, Nepos, Iustinus, Plutarchus anno 487 a. Chr. n. centum ducentasve naves aedificatas esse, et pugnae Salaminiae ducentas naves Athenienses interfuisse testes sint. De hac quaestione autem ita iudicandum esse, ut non centum aut ducentae naves uno anno, sed septem deinceps annis (487—480) vicenae essent aedificatae, iam dudum ab hominibus doctis [1]) monitum est. Bene contra cogitari potest, Ephorum cum prioris illius anni res gestas silentio praetermisisset, hoc loco istam rem, ut erat maximi momenti, repetivisse; Diodorum autem, quae erat consuetudo eius scribendi, in falsum tempus eam transtulisse. Accedit quod Plutarchus cap. XII vit. Them. cum narrat, Aristidem ante pugnam navalem ad The-

1) Boeckh, Staatshaush. d. Ath. I p. 275. Curtius, h. G. p. 32 et 29, 15. Duncker, l. l. IV, 704.

mistoclem venisse, Aristidis nomini addit: *ὁ Λυσιμάχου οὐκ ὢν φίλος*. Hoc vero prorsus abundanter ab eo additum est, quia in ipso cap. III, alium ibi quidem fontem secutus, idem dixerat: *ὑφίστατο τὰς πρὸς τοὺς δυναμένους . . ἀπεχθείας μάλιστα δὲ Ἀριστείδην τὸν Λυσιμάχου.* At item ut Plutarchus Herodotus (VIII, 79) scripsit: *διέβη Ἀριστείδης ὁ Λυσιμάχου . . . ἐξεκαλέετο Θεμιστοκλέα . . . οὐ φίλος.* Sane, sed hic quidem rectissime, quia primum in pugna navali narranda Aristidem nominat, atque certa et Herodoti et Thucydidis lex est, ut ubicunque homo qui alicuius momentí est primum commemoratur, nomen patris addatur aut aliquo modo gens eius definiatur. Idem igitur quod supra dicendum est: Plutarchus ideo *ὁ Λυσιμάχου* adscripsit, quia ab Ephoro adscriptum erat, hic autem verba illa addidit quia primum hoc loco Aristidis mentionem fecit. Itaque eum e patria esse expulsum et Themistocle auctore classem esse aedificatam antea non rettulit, neque quae cap. IV et initio capitis III Plutarchus protulit, ex Ephoro desumpta, sed recte a nobis Theopompo tributa sunt. Tertium est, quod Diodorus cap. 54,5—55, 3 postquam rettulit, Themistoclem e patria esse expulsum, longiore digressione quid sit ostracismus, quo tempore primum Athenis sit sancitus, qua lege a civibus exercitus sit, prosecutus est. Dubium autem esse nequit, quin Diodorus hoc loco ostracismi descriptionem apud auctorem invenerit, neque magis quin ideo hoc loco accuratius ab Ephoro descriptus sit, quia Themistoclis ostracismus primus erat, cuius in historiis mentionem faceret. Liquet inde quod posuimus, Ephorum de Aristidis ostracismo non scripsisse, sed Persarum bella a Xerxis demum itinere orsum exposuisse. Itaque rectissime Frickius (l. l. p. 30), aliam ille quidem quaerendi viam ingressus, posuit: Plutarchum in narrando Aristidis ostracismo (cap. VII v. Aristid.) non Ephorum sed Theopompum secutum esse.

Probasse igitur mihi videor, Diodori capitibus 39—43 et Plutarchi c. 19—20 servatam nobis esse partem di-

gressionis quae ab Ephoro de Themistoclis rei publicae gerendae ratione hoc loco erat inserta; cui recte a nobis Plutarchi capita illa esse adscripta singulis etiam probari potest. Nam quod dicit, c. 19. (v. 17 seq. p. 238), fabulam de lite Palladis et Neptuni a veteribus Atheniensium regibus esse excogitatam, quo magis populum a mari retinerent et ad agros colendos commoverent, optime quadrat ad Ephori genus scribendi, quem constat in universum neglecta antiquissimae Graeciae memoria fabularum caligine ubivis operta ab ea demum aetate historiae suae initium ponendum esse censuisse, quae clariore iam luce circumfusa certius admitteret et verius de rebus gestis iudicium, ubi vero facere non posset quin ad mythica adscenderet, non in eo acquievisse, ut relata referret, sed abstersis quae vulgi credulitati vel poetarum ludibriis deberi viderentur, mythos studuisse ad historiae veritatem revocare, vel, ut Plutarchus dicit: *πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀνασώζειν* [1]). At, quod cap. 42. Siculus narrat, Themistoclem, cum non auderet in publico consilium suum de muniendis portibus profiteri, dixisse in contione, habere se quae reipublicae Atheniensium magnopere utilitati forent, sed divulgari non possent, duobus autem viris a populo designatis se totum negotium commissurum et quae sequuntur, a Plutarcho prorsus aliter exponuntur. Inde vero e diversis fontibus eos hausisse colligi nequit. Nam uti Diodorus hanc rem descripsit Ephorus eam descripsisse non potest. An tu vides cur Themistocles, qui nunc ipsum Sparta reversus summa auctoritate Athenis forebat, qui paullo ante Lacedaemonios sagacitate sua deceperat, urbeque muris circumdata eis dixerat: „permunitas esse Athenas et posse iam illatum bellum non armis solum, sed etiam muris sustinere“, cur ille subito eo Lacedaemoniorum timore perculsus sit, ut opus sedecim annis ante incep-

1) cfr. C. Müller, f. h. G. I, p. LXII. Odofred. Müller, proleg. in mytholog. p. 76. Nipperd. l. l. pag. XXV.

tum perficiendum esse in publico profiteri non auderet? Profecto non mirum est quod Plutarchus de hac re a Diodoro dissentit. Dubium enim esse nequit, quin Siculus Piraei portus muniendi consilium perverse confuderit cum eo, quod Plutarchus de Lacedaemoniorum classe igne delenda a Themistocle captum, sed cum Aristide solo communicatum esse auctor est. (v. Them. c. XX, v. Arist. c. XXII) Non magis sententiae quam posuimus, repugnat quod Plutarchus solus scripsit, (c. XX, v. 12) Themistoclem cum Lacedaemonii in Amphictyonum quae vocatur contione censerent ut quaecunque civitates pugnis se subtraxissent a societate removerentur, veritum ne Thessalis, Argivis, Thebanis eiectis Lacedaemonii praevalerent, prava ista eorum consilia compressisse; e *silentio* enim Diodori nihil concludi posse satis apud omnes acceptum est.

Itaque recte Plutarchi capita XIX et XX Ephoro tribuisse mihi videor; quae vero capite XXI de Themistocle narrantur ad eundem fontem referri nequeunt. Prorsus opposita enim capitibus quae praecedunt ratione infeste et odiose de Themistocle iudicatur et summa vitia probro ei dantur. Quî quaeso cogitari potest, Ephorum, qui modo summis laudibus eum celebravit, paullo post foedissima de eo rettulisse? Quamquam qui fons iste Plutarchi fuerit, pro certo affirmare non ausim; Herodotum quidem, quem ipse nominat, *non* inspexit. Is enim (VIII c. 111 et 112) similiter quidem ac Plutarchus narrat Themistoclem ab Andriis pecuniam postulasse, sed hoc factum esse dicit post ipsam pugnam Salaminiam cum Persas fugientes ille persequeretur, non ut Plutarchus vult, paullo antequam patria expulsus est. Talia sine dubio a scriptore aliquo posterioris aevi collecta Plutarchus invenit et sicuti in primis capitibus fecit sine iudicio historiae inseruit. Nam ne hic quidem sibi constat, et iniquissimo huic iudicio in capite XXII aliud prorsus oppositum adsuit; ita vero ut non ad prius illud refellendum additum sit, sed per se stet, neque cum

eis quae cap. XXI dicta sunt, ullo modo cohaereat. Benevole enim de Themistocle iudicari, nemo non videt qui legerit Plutarchi illa (v. 4 p. 241) τῶν πολιτῶν διὰ τὸ φθονεῖν ἡδέως τὰς διαβολὰς προςιεμένων ἠναγκάζετο λυπηρὸς εἶναι et v. 16: καὶ φαίνεται (Themistocles) τις οὐ τὴν ψυχὴν μόνον ἀλλὰ καὶ τὴν ὄψιν ἡρωικὸς γενόμενος. Reliqua autem quae hoc capite usque ad v. 17: τὸν μὲν οὖν ὀστρακισμόν κ. τ. λ. dicuntur, ab eo profecta sunt, qui accuratissimam et perfectissimam urbis et morum Atheniensium cognitionem habebat, nam vide modo quod scripsit: ἐν Μελίτῃ τὸ ἱερὸν οὗ νῦν τὰ σώματα τῶν θανατουμένων οἱ δήμιοι προβάλλουσιν κ.τ.λ. et v. 14: ἔκειτο δὲ τοῦ Θεμιστοκλέους εἰκόνιον ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἀριστοβούλης ἔτι καθ' ἡμᾶς. Quare haec fluxisse puto e collectaneis peripateticorum alicuius, quales erant Phanias vel Neanthes, quos doctissime e cuiusvis generis scriptoribus collecta conscripsisse notum est. Nam collectanea illa a Plutarcho ipso facta esse putare ea re fortasse vetamur, quod in eis haud raro hiatum admissum invenies, quem alias, quantumcunque fieri potest, Plutarchus evitare studet[1]). Cfr. v. g. in capite XVIII (hoc enim eiusdem fontis esse puto) v. 12 (p. 237) οὔτε σὺ Ἀθηναῖος, v. 20: ἐμοῦ μὴ γενομένης σὺ οὐκ ἂν ἦσθα; v. 21: ποῦ ἂν ἦτε νῦν ὑμεῖς.

Sed quae inde a v. 17. c. XXII de ostracismo Plutarchus exponit, arctissime cum tota Themistoclis fugae narratione cohaerent, de qua Plutarchus capitibus XXIII et XXIV, Diodorus c. 54, 3—55, Thucydides I c. 135 et 136, Nepos cap. 8 rettulerunt. Atque hi omnes consentiunt quod dicunt, Themistoclem per ostracismum Athenis expulsum Argos se contulisse, inde vero, cum proditionis a Lacedaemoniis accusaretur, Corcyram et Corcyra ad Admetum Molossorum regem fugam capessi-

1) C. Sintenis, de hiatu in Plutarchi vitis parallelis epistola ad Hermannum Sauppium, vol. IV editionis Sintenisianae maioris p. 323 seq.

visse. E Thucydide autem neque Diodorus nec Plutarchus haurire potuerunt, quia, cum uterque fuse exponat quibus causis commoti Athenienses, quem antea tanti aestimassent e patria removerint, Thucydides acquiescit in dicendo (c. 135) ἔτυχε γὰρ ὠστρακισμένος καὶ ἔχων δίαιταν μὲν ἐν Ἄργει. Sed ne in ea quidem sententia, quam supra posuimus, Plutarchum et Diodorum e communi fonte res quae ad historiam ipsam pertinerent hausisse, collatione eorum instituta diutius consisti posse videtur. Plutarchus enim narrat, cum Themistocle Argis vitam degente Pausaniam quid de patria prodenda cum Xerxe egisset communicasse et ab eo ut se adiuvaret petivisse, Themistoclem vero nefaria ista consilia illum quidem reiecisse, sed cum sperasset Pausaniam et ipsum ea abiecturum esse, silentium egisse; post Pausaniae mortem deinde epistolas esse inventas, quibus nisi Spartani Themistoclem proditionis accusassent. Diodorus contra postquam c. 45 Pausaniam scelere dignissimas poenas subiisse exposuit c. 55. dicit, Lacedaemonios ut Athenienses paris ignominiae nota afficerent, Themistoclem summa auctoritate apud eos florentem incusasse, quod consilia de prodenda Xerxi Graecia cum Pausania molitus esset; ac tunc quidem Themistoclem omni culpa liberatum e iudicio prodiisse et maiore etiam virtutum splendore Athenis fulsisse, postea vero cum nonnulli gloriam eius invidia persequerentur, per ostracismum eum remotum, et cum Argis versaretur a Lacedaemoniis *iterum* eiusdem criminis accusatum absentemque damnatum esse. His vero Diodorus valde erravit, tamque perverse hanc rem exposuit, ut *ita* Ephorum scripsisse prorsus incredibile sit. Omnes enim scriptores, Thucydides, Plutarchus, Diodorus, Nepos in ea re consentiunt ut dicant, Themistoclem proditionis esse accusatum et damnatum cum patria expulsus Argis habitaret; porro Thucydides (c. 133), Nepos (Pausan. c. 4) Diodorus ipse (c. 45, 3) testes sunt, ephoros ipso demum mortis Pausaniae die a se impetrasse,

ut hunc de prodenda patria cogitasse morteque dignum esse crederent. Quare fieri non potuit, ut *ante* mortem eius Themistoclem Athenis per legatos accusarent, quod proditionis consilia cum Pausania animo volvisset. Atqui constat Pausaniam non ante annum 471, quo Themistocles per ostracismum relegatus est, mortem obiisse, quia hic brevi postquam proditionis damnatus est in Asiam fugam capessivit, neque id multo prius quam anno 466 factum esse potest[1]. Magnam contra veritatis speciem prae se fert, quod Plutarchus dicit (c. XXIII): Pausaniam tum demum cum Themistocles Argis versaretur (et ut Thuc. c. 135 addit: *ἐπιφοιτῶν δὲ καὶ εἰς τὴν ἄλλην Πελοπόννησον* esset) ausum esse cum isto, quem sperabat civium ira inflammatum fore, prava sua consilia communicare, et scribere epistolas propter quas Themistocles accusatus est. Falso igitur Diodorus rettulit in Themistoclem, antequam testarum suffragiis Athenis pelleretur, proditionis causam per Lacedaemonios esse intentam. Neque qua re factum sit ut Diodorus in errorem istum illapsus res confuderit, difficile est dictu. Videtur enim re vera Diodori et Plutarchi auctor de duabus Themistoclis accusationibus rettulisse, modo ne putemus utramque a Lacedaemoniis esse profectam uti Siculus vult. Dicit enim Plutarchus (c. XXIII) accusantis partes (in secunda causa) suscepisse Leoboten quendam, Alcmaeonis filium, et ne eum errasse aut nomina confudisse putemus optimum habemus testem Craterum[2]. (*συνομολογεῖ δὲ τοῖς ὑπὸ Θεοφράστου ὅτι Θεμιστοκλέα εἰςήγγειλε κατὰ Κράτερον Λεωβότας Ἀγραύληθεν*[3]).

1) cfr. Pierson in Philologo. XXVIII pag. 58; Schäfer l. l. pag. 6 et 13 sequ. et quos illi annotaverunt locos. Causae quas Otto in dissertatione quam inscripsit: Themistocles *μηδισμοῦ* quem vocant falso accusatus est. (Progr. gymn. Padrib. 1866) pag. 33 affert prorsus nihil valent.

2) Müller, frg. h. G. II p. 619, 5.

3) De Cratero cfr. Meineke, Stephani Byzantii ethnicorum quae supersunt. I, p. 714. — Boeckh, c. i. Gr. p. VIII. — Niebuhr, opusc. hist. I, p. 225. — Müller, f. h. G. II. 615.

Quare ut Plutarcho fidem derogemus fieri non potest, neque ulla causa cogimur ut cum Grotio[1]) censeamus, Leoboten Themistoclis fuisse accusatorem in priore actione ante exilium eius Athenis facta. In Aristidis vita autem (c. 25 s. finem) Plutarchus Alcmaeonem ipsum accusantem facit (cfr. moral. p. 805 C). Neque hoc inde factum est, uti Sintenisius et Müller[2]) volunt, quod Plutarchus nomina accusantium confuderit, sed quia his locis de priore accusatione *ante* ostracismum facta loquitur; dicit enim: *ἀλλ' Ἀλκμαίωνος καὶ Κίμωνος καὶ πολλῶν ἄλλων ἐλαυνόντων καὶ κατηγορούντων* h. e. cum Alcmaeon ceterique id agerent ut Themistoclem e patria expellerent et criminationibus eum insectarentur. Has duas causas autem cum confunderet Diodorus de duabus accusationibus per Lacedaemonios intentas locutus est. Altera vero erroris Diodorei causa e genere scribendi eius petenda est, quod „res, quae certo aliquo anno geri coeptae sunt, ita persequebatur, ut continua narratione plurium annorum acta comprehenderet, atque ita quidem ut narrationem a termino quem indicasset non ad hunc terminum institueret, atque annum quo quid inceptum, non quo finitum esset notaret"[3]). Itaque cum terminus a quo Pausaniae proditio incipit in prius tempus cadat (in annum a. Chr. n. 476), quam Themistoclis exilium et quae cum eo cohaerent, fieri non potuit quin Pausaniam ante hoc tempus mortuum esse scriberet atque rem perverse et confuse exponeret; neque inde quod Plutarchus accuratius eam persecutus a Siculo dissentit, concludere licet, e diversis fontibus eos hausisse. Idque eo minus fieri potest, cum satis multa *communis* fontis vestigia apud utrumque inveniantur. Nam quod Diodorus (c. 54, 5—55,3) de Themistoclis exilio

1) Grote, history of Greece V, pag. 377 annot. 1.

2) Sintenis, Plutarchs Themistocles und Pericles, Leipzig 1851. pag. 46. Müller, f. h. G. II. 619.

3) Schäfer, l. l. pag. 20. Clinton, f. h. II, p. 259 sequ.

locutus accurate exponit, quid sibi voluerit apud Athenienses testarum suffragium quod *ὀστρακισμόν* illi vocant, Plutarchus sub fin. c. XXII eisdem paene verbis usus lectores idem docet. Confer Plut.: *ὥσπερ εἰώθεσαν ἐπὶ πάντων οὓς ᾤοντο . . . πρὸς ἰσότητα δημοκρατικὴν ἀσυμμέτρους εἶναι* cum Diod.: *τοῦ δοκοῦντος μάλιστα καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν;* et Plut.: *κόλασις γὰρ οὐκ ἦν ὁ ἐξοστρακισμὸς, ἀλλά . . . ἡδομένῳ τῷ ταπεινοῦν τοὺς ὑπερέχοντας*, cum Diodori: *οὐχ ἵνα τὴν κακίαν κολάζωσιν ἀλλ' ἵνα τὰ φρονήματα τῶν ὑπερεχόντων ταπεινότερα γένηται,* et quod falsissime Diod. scripsit Themistoclem esse expulsum quia Athenienses *φθονήσαντες τῇ δόξῃ* fuissent, cum falsa Plutarchi explicatione: *ὁ ἐξοστρακισμὸς ἦν παραμυθία φθόνου.* Hoc vero non casu factum sed ad communem fontem referendum est. Dixerit quispiam, Plutarchum hoc loco primum opportunitate data lectoribus semel ostracismum explicare voluisse. Sed id propter Plutarchi genus scribendi veri speciem non habet; nam si reliquas eius vitas comparamus elucet, eum in talibus prorsus pendere ab auctore suo. Tribus enim aliis vitarum locis (Nic. c. 11; Arist. c. 7. Alcib. c. 13) eandem rem descripsit, Theopompum (Nic. et Arist.), Ephorum (Alcib.), Theophrastum (Arist.) secutus [1]). Itaque hoc quoque loco descriptionem illam inseruit, quia uti Diodorus apud Ephorum adscriptam eam invenit; quocum bene convenit, quod in Alcibiadis vita (ubi Frickio teste eundem Ephorum ante oculos habuit) institutum illud Atheniensium item falso intellexit, et testarum suffragium, ut nostro loco, *παραμυθίαν φθόνου* esse dixit (*αεὶ τὸν προὔχοντα δόξῃ καὶ δυνάμει, τῶν πολιτῶν ἐλαύνουσι παραμυθούμενοι τὸν φθόνον*). Alterum de quo convenit inter Plutarchum et Siculum est, quod uterque de duabus Themistoclis accusationibus scripsit, Thucydides autem de altera solo rettulit; tertium, quod uterque Lace-

1) cfr. Fricke, l. l. pag. 31.

daemonios facit postulantes, ut in communi Graecorum conventu non privato Atheniensium iudicio de causa Themistoclis cognosceretur, (Diod. 55, 4: *καὶ δεῖν ἔφασαν τῶν κοινῶν τῆς Ἑλλάδος ἀδικημάτων εἶναι τὴν κρίσιν, οὐκ ἰδίᾳ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ κοινοῦ συνεδρίου τῶν Ἑλλήνων,* Plut. c. XXIII s. fin.: *ὁ δῆμος ἔπεμψεν ἄνδρας . . . ἄγειν αὐτὸν κριθησόμενον ἐν τοῖς Ἕλλησιν*), cum Thucydides ne huius quidem rei mentionem faciat. Denique, id quod maximi momenti est, mirum in modum Plutarchus et Diodorus in iudicio consentiunt, quod de veritate culpae Themistocleae ferunt. Cum enim Thucydides sensisse videatur, iure eum proditionis esse accusatum et damnatum [1]), Diodorus et Plutarchus afferunt, Pausaniam litteras illum quidem ad Themistoclem misisse, hunc autem consilia eius procul a se reiecisse atque in eo solum peccasse, quod Pausaniam non accusasset, sed silentio rem praeteriisset. Ita vero Ephorum hanc causam intellexisse felici fortuna factum est ut demostrare possimus. In libello enim quem de mal. Her. Plutarchus scripsit pag. 855 F. dicit: *ὥσπερ περὶ Θεμιστοκλέους Ἔφορος μὲν εἰπὼν ὅτι τὴν Παυσανίου προδοσίαν ἀνέγνω καὶ τὰ πρασσόμενα πρὸς τοὺς βασιλέως στρατηγούς· ἀλλ' οὐκ ἐπείσθη φησίν, οὐδὲ προςεδέξατο καλουμένου καὶ παρακαλοῦντος αὐτὸν ἐπὶ τὰς ἐλπίδας.*

Dubitatio igitur nulla admitti potest, quin Plutarchus inde a verbis (c. XXII, v. 17 p. 241) *τὸν μὲν οὖν ἐξοστρακισμόν κ. τ. λ.* item ut Diodorus Ephoro usus sit, neque aliter comparata sunt quae in cap. XXIV de fuga Themistoclis Argis ad Admetum facta usque ad verba *ἔνιοι μὲν οὖν* (v. 8 p. 243) traduntur. Diodori quidem comparatione non multum lucramur, quia brevior est quam de quo certi quidquam iudicari possit, et quae profert corrupta sunt (cap. 56, 1). Siculo autem accuratius Plutarchus fugam Themistoclis descripsit, neque quem-

1) cfr. Pierson, l. l. pag. 59.

quam, si narrationem eius cum Thucydidea comparaverimus fugiet, quanta sit et verborum quibus utantur et rerum quas proferant similitudo. Nec tamen e Thucydide ipso, sed Ephori arte ante elaboratam narrationem ad Plutarchum pervenisse, inde luce clarius cognoscitur, quod quae Thucydides verbo tantum tetigit, a Plutarcho fusius et accuratius exposita sunt. Nam vide quod Thucydides scripsit c. 135: *οἱ δὲ πεισθέντες πέμπουσι . . . . ἄνδρας οἷς εἴρητο ἄγειν ὅπου ἂν περιτύχωσιν*, prorsus convenire cum Plutarchi verbis: *οὐ μὴν ἀλλὰ συμπεισθεὶς . . . . ὁ δῆμος ἔπεμψεν ἄνδρας, οἷς εἴρητο συλλαμβάνειν καὶ ἄγειν αὐτὸν*, modo quod hic addendo *κριθησόμενον ἐν τοῖς Ἕλλησιν* cum Diodoro consentit. Porro conferas Thuc. c. 136: *ὁ δὲ Θεμιστοκλῆς προαισθόμενος φεύγει ἐκ Πελοποννήσου εἰς Κέρκυραν, ὢν αὐτῶν εὐεργέτης*, cum Plut. c. 24: *προαισθόμενος δ' ἐκεῖνος εἰς Κέρκυραν διεπέρασεν, οὔσης αὐτῷ πρὸς τὴν πόλιν εὐεργεσίας*; qualis quidem fuerit *εὐεργεσία* ista, Thucydides non scripsit, Plutarchus autem fusius exposuit. Iam vide Thucydidem dicentem: *δεδιέναι δὲ φασκόντων Κερκυραίων ἔχειν αὐτὸν ὥστε Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις ἀπέχθεσθαι, διακομίζεται ὑπ αὐτῶν . . . . καὶ διωκόμενος ὑπὸ τῶν προστεταγμένων . . . ἀναγκάζεται κατά τι ἄπορον παρὰ Ἄδμητον, τὸν Μολοσσῶν βασιλέα ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον καταλῦσαι*, Plutarchumque: *ἐκεῖθεν δὲ εἰς Ἤπειρον ἔφυγε, καὶ διωκόμενος ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἔρριψεν αὑτὸν εἰς ἐλπίδας χαλεπὰς καὶ ἀπόρους καταφυγὼν πρὸς Ἄδμητον, ὃς βασιλεὺς μὲν ἦν Μολοσσῶν κ. τ. λ.* Thucydides igitur dicit solum: *ὄντα αὐτῷ οὐ φίλον*, *cur* vero amicus eius non fuerit, Plutarchus solus memoriae tradit. Pergit deinde Plutarchus narrando Themistoclem, cum filio parvulo regis arrepto ad focum supplex consedisset, benigne ab Admeto esse exceptum, neque aliter Diodorus et Nepos (c. 8) rem describunt, cum Thucydides Admeti mulierem, ut hac caerimonia uteretur eum docuisse, itaque regem quasi coactum esse ut fugitivum reciperet, auctor sit.

Priori huic relationi Plutarchus alias duas eiusdem rei inde a v. 8 p. 243 *Ἔνιοι μὲν οὖν κ. τ. λ.* annectit, quarum altera cum Thucydidea convenit. Tamen ne hic quidem Thucydidis libros evolvisse putandus est. Neque enim hic scripsit, quod affert Plutarchus, Admeti mulieris nomen *Φθίαν* fuisse, neque alteram narrationem quae cum priore arcte coniuncta legitur (*ἔνιοι μὲν οὖν . . . τινὲς δὲ*) apud eum invenies. Plutarchus potius inde a verbis *Ἔνιοι μὲν οὖν* auctore historico relicto ad alius generis fontem fontesve transit, quos secutus capitibus XXV—XXXI narrat: Themistoclem Argis in Asiam fugam capessivisse et, cum Nicogene hospite auxiliante Susa venisset, a rege Persarum benevole esse exceptum (XXV—XXIX), apud quem cum maxima floreret auctoritate, in nobilium Persarum invidiam ei vocato ubique paratas esse insidias e quibus omnibus feliciter tamen evasisset (XXX. XXXI). Atque ipse quidem his capitibus duodecim commemorat auctores, quos omnes eum non ipsum inspexisse, sed in fonte primario nominatos invenisse, per se patet neque multis verbis mihi demonstrandum est. Quamquam num ex *uno* fonte *omnia* hauserit in dubio relinquendum est, tamen maximam partem eiusdem auctoris esse, certo demonstrari potest. Nam quae cap. XXVI narrantur, „Themistoclem, cum Cumis e nave escendisset, Aegas ad Nicogenem hospitem aufugisse, inde vero clam curru in quo pellices ad regem vehi solerent fuga et securitate ei paratis Susa pervenisse", et inter se arcte cohaerent, et ad eundem fontem pertinent e quo capita XXVIII et XXIX hausta sunt, non solum quia tota narrationis ratio prorsus eadem est, sed etiam quia his capitibus apertis verbis ad c. XXVI spectatur. Confer c. XXVIII, v. 2 (p. 247) *ἐπεθείασε τῷ λόγῳ προςδιελθὼν τὴν ὄψιν ἣν εἶδεν ἐν Νικογένους κ. τ. λ.* et c. XXIX (v. 25 seq. p. 247) *ἤδη μὲν ἔφησεν* (*ὁ βασιλεὺς*) *αὐτῷ διακόσια τάλαντα ὀφείλειν, κομίσαντα γὰρ αὐτὸν ἀπολήψεσθαι δικαίως τὸ ἐπικηρυχθὲν τῷ ἀγαγόντι*, cum eis quae c. XXVI (v. 16 p. 244) leguntur

ἦν γὰρ ἡ θήρα λυσιτελὴς τοῖς τὸ κερδαίνειν ἀπὸ παντὸς ἀγαπῶσι, διακοσίων ἐπικεκηρυγμένων αὐτῷ ταλάντων ὑπὸ τοῦ βασιλέως et v. 25 sequ. de somnio Themistoclis exstant; neque minus apte caput XXVII insertum et ad eundem fontem referendum est. Hunc fontem vero, cui tantum auctoritatis Plutarchum tribuisse videmus, Ephorum fuisse censere, multa sunt quibus vetemur. Neque enim verisimile est Cumaeum, qui non unius Themistoclis sed omnium gentium res gestas memoriae traderet, tantum operae contulisse in narrandas res, quae rerum scriptori nullius paene momenti sunt, neque genus scribendi ad Ephorum quadrat, neque quos nominat Plutarchus scriptores (c. 27) in Ephori historiis invenire potuit, neque denique cum Diodoro cap. 56 et 57 de Themistoclis itinere Persico scribente Plutarchus consentit. Is enim narrat, Themistoclem Argis in Asiam evasisse adulescentum duorum benevolentia studioque indefesso adiutum; tum hospitem Themistoclis non Nicogenem, sed Lysitheidem vocat, neque ad Artaxerxem, ut Plutarchus malle videtur, sed ad Xerxem ipsum Themistoclem pervenisse auctor est; denique longe a Plutarchi narratione recedit, quod Mandanes, regis sororis, consilio et insidiis factum esse dicit, ut Themistocli annuum tempus ad linguam Persicam addiscendam daretur, cum Plutarchus eum ipsum id a rege petentem faciat. (c. 29 v. 30 sequ. p. 247)

Atqui Plutarchus ipse testem nominat Phaniam peripateticum (c. XXVII s. fin.) quem rebus a Themistocle gestis scribendis multum operae tribuisse et prorsus similiter ac Themistoclem, Entimum Cretensem honoribus ab Artaxerxe esse affectum tradidisse, fragmentis eius 6—11 [1]) probatur. Nec tamen Phaniam pro Plutarchi fonte habuerim, quia ex eo nomina scriptorum, quae Plutarchus affert, omnia fluxisse nequeunt. At ipse Plutarchus dicit (c. XXIX s. f.) et Neanthem et Phaniam

1) Müller f. h. G. II, pag. 295—296.

auctores esse praeter Magnesiam, Lampsacum, Myuntem, Themistocli Percoten et Palaescepsin urbes a rege esse concessas. Plutarchum autem utrumque scriptorem ad hanc rem notandam evolvisse, non est quod cuiquam verisimile videatur, sed aut Phaniae nomen in Neanthis hellenicis, aut utriusque apud alium scriptorem invenisse putandus est. Neanthem autem re vera haec scripta habuisse testis est schol. ad Ar. equ. 84 [1]): *ὁ βασιλεὺς δωρεῖται αὐτῷ τρεῖς πόλεις, Μαγνησίαν εἰς σῖτον, Λάμψακον εἰς οἶνον, Μυοῦντα εἰς ὄψα, ὡς δὲ Ν ε ά ν θ η ς καὶ Περκώτην εἰς στρωμνὴν καὶ Παλαίσκηψιν εἰς στολήν*; quare verisimillimum est, Plutarchum Neanthem solum inspexisse et in eius hellenicis Phaniam laudatum invenisse. Neanthem enim Phaniae libros in suum usum convertisse, alio huius vitae loco (cap. I) confirmatur, quo Plutarchus utrumque testem nominat, matrem Themistoclis Euterpen fuisse, quam rem etiam Athenaeus (XIII p. 576 D.) Neanthis solius auctoritate nisus profert. Videtur etiam loco illo Athenaei probari, Neanthem fusius de Themistocle scripsisse, quia audimus: *Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς ἐν τῇ τ ρ ί τ ῃ κ α ὶ τ ε τ ά ρ τ ῃ τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριῶν Εὐτέρπης αὐτὸν εἶναί φησιν υἱόν.* Itaque cum duobus locis, qui nobis servati sunt, (atque pauca eius habemus fragmenta) Neanthes Phaniae nitatur auctoritate, non audacius est concludere, Plutarchum non solum his duobus locis e Neanthis libris Phaniae nomen sumpsisse, sed ubicumque Phaniam nominet non ipsum, sed Neanthem ante oculos habuisse. Eam enim fuisse Plutarchi scribendi rationem, ut non fontem primarium ipsum nominaret, sed quem in eo nominatum invenerit auctorem, exemplo quod supra (c. XVII) nobis occurrit probatur. His de causis, sermonem quem in cap. XXVII. Plutarchus Phania laudato teste persecutus est, Neanthis hellenicis deberi contendo. Wolfius quidem (l. l. p. 39 et 40) rectissime monuit, quanta sit cum

1) Müller, f. h. G. III, 3, 3.

Plutarcho Nepotis similitudo (v. Cononis c. 3) de Cononis sermone cum Tithrauste chiliarcho regio habito scribentis; nec tamen inde collegerim, quod W. vult, ex eodem fonte Plutarchum et Nepotem hausisse, sed, cum Dinonem ante omnes Nepos in scribenda Cononis vita ante oculos habuerit, optime inde intelligi puto, qua ratione scriptores isti historiam conscripserint; ita nempe ut alter alterius vestigia secuti, quae ille rettulisset ad homines et tempora quae ipse describeret, transferret. Idem autem ad Neanthem valere, ex hoc ipso loco quem tractamus colligi potest. Phanias enim (frg. 11) Entimum Cretensem, cum Susa venisset aemulatione Themistoclis, summis honoribus ab Artaxerxe elatum esse scripsit, atque mirum in modum consentit cum eis quae (c. 29) Plutarchus Themistocli contigisse exhibet. Nam vide modo quae Phanias scripserit *καὶ ἐπὶ τὸ συγγενικὸν ἄριστον ἐκαλεῖτο ὑ Κρῆς οὗτος τὸν βασιλέα ψυχαγωγήσας· ὅπερ οὐδενὶ πρότερον τῶν Ἑλλήνων ἐγένετο, ἀλλ' οὐδ' ὕστερον. Αὕτη γὰρ ἡ τιμὴ τοῖς συγγένεσι διεφυλάττετο*, et quae Plutarchus dicit (v. 10 p. 248) *οὐδὲν γὰρ ἦσαν αἱ τιμαὶ ταῖς τῶν ἄλλων εὀικυῖαι ξένων, ἀλλὰ καὶ κυνηγεσίων βασιλεῖ μετέσχε, καὶ τῶν οἴκοι διατριβῶν, ὥστε καὶ μητρὶ τῇ βασιλέως εἰς ὄψιν ἐλθεῖν, καὶ γενέσθαι συνήθης*. Porro conferas Phaniam *Ἐφ' ᾧ οἱ Πέρσαι χαλεπῶς ἔφερον ὡς τῆς τε τιμῆς δημευομένης καὶ στρατείας ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα πάλιν ἐσομένης* et Plutarchum *τοῖς μὲν ἐκτὸς δόξαν παρέσχε περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων διειλέχθαι . . . . . φθόνον ἔσχε παρὰ τοῖς δυνατοῖς*. E Phania ipso quidem quae Plutarchus hoc loco narrat, manasse nequeunt qui, si Themistoclem honoribus istis affectum esse scriptum habuisset, postea cum Entimi honores describeret, dicere non potuit: *ὅπερ οὐδενὶ πρότερον τῶν Ἑλλήνων ἐγένετο.* Bene contra cogitari potest Neanthem, qui e Phania hauriebat, honores quos Entimo tributos esse ille tradiderat, in Themistoclem transtulisse, idque eo facilius fieri potuit, quia in Eresii isto loco et ipsius Themistoclis mentio fit. Itaque non solum quae sub finem capitis XXIX a Plutarcho ipso Neanthi tribuuntur, sed totum caput ex isto fluxisse statuendum est; atque quia c. XXVI. XXVIII. XXIX arcte inter se cohaerere vidimus, — c. XXVII autem aliis de causis Neanthi adscriptum est —, c. XXVI—XXIX desumpta esse iudico e Cyziceni hellenicis quem Attalo regnante demum libros conscripsisse constat, ita ut ex eis quoscunque nominat Plutarchus auctores hausti esse possint. Eratosthenes enim, qui omnium postremus est, ipsis Neanthis temporibus floruit.

Iam vero quaeritur, quid sit iudicandum de fonte eorum, quae Stesimbroto et Theophrasto nominatis, Plutarchus s. fin. c. XXIV et initio c. XXV scripsit. Stesimbroti enim narrationum alteram alteri ita oppositam esse, ut si prior vera sit altera locum omnino habere non possit, Plutarchus ipse vidit, cum dicat: *εἶτ' οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπιλαθόμενος τούτων, ἢ τὸν Θεμιστοκλέα ποιῶν ἐπιλαθόμενον πλεῦσαί φησιν εἰς Σικελίαν κ. τ. λ.* Nobis quidem quin fictum sit iter illud Siculum dubium esse nequit propter optimorum scriptorum silentium et Thucydideae narrationis diversitatem; neque fugere potest, id quod Müller (II, 54) monuit, iter illud ad Persici similitudinem esse adornatum.

Quod vero addit vir ille doctissimus: „Attamen non invenit rem Stesimbrotus, sed Timocreontis Rhodii, nisi fefellit coniectura, commento usus est, qui Suida teste *ἔγραψε κωμῳδίαν εἰς Θεμιστοκλέα καὶ Σιμωνίδην* sequ. sagacem coniecturam esse concedo, sed mera coniectura est quae certis quibus fulciatur argumentis caret [1]).

Non maiore fide digna est narratio quam initio c. XXV Plutarchus Theophrasti auctoritate nisus profert, Themistoclem, cum Hiero Olympiam equos misisset certaturos tumultu contra Syracusani ministros concitato oratione a Graecis postulasse, ut tabernaculum tyranni

1) cfr. Rühl, l. l. pag. 44.

spoliarent neve equos eius ad certamen admitterent. Theophrastum enim haec referentem errasse videri, quia Dionysio maiori idem ludis Olympiacis acciderit, (Diod. XIV, 109.) A. Schäfer[1]) demonstrare studuit; neque facere possum, quin argumentis eius assensus et ipse putem, hanc narrationem ad aliud tempus aliasque personas pertinere, ita tamen ut non Theophrasto hoc vitium adscribam, sed a Plutarchi auctore commissum esse putem. Neque maiore cum veri specie ad fontem historicum referuntur, quae c. XXX et XXXI v. 14 pag. 250 *οὐ γὰρ πλανώμενος κ. τ. λ.* narrantur, Themistocli ad mare proficiscenti, ut contra Graecos bellum pararet, ab Epixye, superioris Phrygiae satrape, per Pisidas insidias esse collocatas, e quibus mirum in modum servatum Dindymenae aedem sacram Magnesiae dedicasse. Nemo enim praeter Plutarchum nobis tradidit, Themistoclem re vera de bello Graecis inferendo cogitasse; alii omnes potius (Thucydides, Nepos, Diodorus, Plutarchus ipse alio loco) testes sunt, eum ea ipsa de causa, quia regi promissa praestare non posset, voluntariam mortem sibi intulisse. Atque incertissimo fundamento niti Plutarchum de Dindymenae aede sacra referentem, ex eis quae Finckius[2]) de hac aede contulit satis liquet. Pertinent autem haec omnia ad narratiunculas istas, quae a posteriorum temporum scriptoribus certis nullis argumentis nisis satis multae inventae sunt ad Themistoclem celebrandum et augendum, aut ad artem rhetoricam ipsorum exercendam, quibus quantum fidei sit tribuendum vel non tribuendum non est quod longa disputatione hic probandum sit. Inde a verbis vero: *οὐ γὰρ πλανώμενος περὶ τὴν Ἀσίαν* (v. 14, p. 250) Plutarchus ad alium auctorem transiit, de quo antequam quaestionem instituamus, paucis videamus quid de reliquorum scriptorum fugam Themistoclis narrantium fontibus sit iudicandum.

———

1) A. Schäfer, in Philol. XVIII pag. 187 sequ. Curtius, II, 736, 59. ei non assentitur.

2) Finck, l. l. pag. 107.

Ac primum quidem quin Diodorus quae capp. 56—59 de hac re profert ex Ephoro hauserit, dubium non est. Omnia enim arcte inter se et cum eis quae praecedunt et sequuntur cohaerent, et bene ei convenit cum Cumaeo, quod ad Xerxem, non ad Artaxerxem Themistoclem facit venientem; (cfr. Plut. init. c. 27 et Diod. 56, 6: *ἀξιοῦντος δὲ τοῦ Θεμιστοκλέους ἀγαγεῖν αὐτὸν πρὸς τὸν Ξέρξην κ. τ. λ.*); e Thucydide autem, cum hac ipsa de causa, tum quia illo multo copiosior est, eum hausisse cogitari nequit. Quae si recte se habent, eiusdem scriptoris vestigia in Nepotis vita Themistoclea cognoscuntur, atque fontem eius eundem Ephorum, non Thucydidem fuisse iudicandum est. Nam quod in universum de fuga Themistoclis convenienter cum Thucydide refert inde nihil efficitur, quia idem ad Diodori et Plutarchi narrationem valere supra vidimus; inde vero quod nonnulla ita comparata sunt, ut e Thucydide fluxisse non possint, iure concluditur, eum non Thucydidem ipsum sed Ephorum exscripsisse. Supra enim iam vidimus Nepotem cum Diodoro consentire quod narrat, Themistoclem ipsum Admeti filium arripuisse, cum Thucydides mulierem regis eum hanc caerimoniam edocuisse testis sit; porro vide, quae c. 8, 5 Nepos proferat Thucydidea narratione fusius esse scripta, atque ita illa quidem ut cum Diodoro conveniant et Nepotis verba e longiore Diodori narratione contracta esse videantur.

Thucydides enim dicit (c. 137) *καὶ ὕστερον οὐ πολλῷ τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις ἐλθοῦσι καὶ πολλὰ εἰποῦσιν οὐκ ἐκδίδωσιν, ἀλλ' ἀποστέλλει βουλόμενον ὡς βασιλέα πορευθῆναι ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλασσαν κ. τ. λ.*, Diodorus contra et Nepos Admetum Themistocli persuasisse ut fugam de novo capesseret testes sunt; Diod. 56, 2, *ἔπειθε τὸν Θεμιστοκλέα τὴν ταχίστην ἀπιέναι λάθρᾳ τῶν Λακεδαιμονίων*, Nepos c. 8, 5: „monuitque, ut consuleret sibi". Tum vide Diod.: *ἐπεὶ δὲ οἱ Λακεδαι-*

μόνιοι . . . . ἐξῄτουν αὐτὸν πρὸς τιμωρίαν . . . . ὁ βασιλεὺς φοβηθεὶς μὲν τὰς ἀπειλάς, ἐλεῶν δὲ τὸν ἱκέτην . . . . ἔπειθε τὸν Θεμιστοκλέα, τὴν ταχίστην ἀπιέναι . . . . συμπράττοντος αὐτῷ πάντα τὰ πρὸς φυγὴν τοῦ βασιλέως, et Nepotem. „Nam quum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis *exposceretur publice supplicem* non prodidit, *monuitque ut consuleret sibi*; . . . . . itaque Pydnam eum deduci iussit *et quod satis esset praesidii dedit*“. Nonne tanta est eorum similitudo, ut e communi fonte eos hausisse iudicandum sit?

Quodsi hoc eis quae attuli tibi non probatur, si Nepotem Thucydide solo usum esse putas, et quibus ab eo dissentiat ei ipsi, neque vero fonti tribuere vis, c. IX certe, in ponderanda quaestione illa de adventu Themistoclis Susa facto, alium scriptorem a Nepote esse inspectum ut putemus, prorsus necessarium est. Nam quod dicit: „Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante in Asiam transiisse“ e Thucydide desumere non potuit, quippe qui c. 137 nil dicit nisi: *ἐσπέμπει γράμματα ἐς βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντα*, neque controversiae illius ullo verbo mentionem facit. Parum etiam veritatis speciem habet, si quis putet, hoc quidem loco Nepotem ex alio scriptore hausisse, capitibus autem quae praecedant meram Thucydidis relationem tradidisse; nullo modo enim intelligitur, cur hoc ipso loco in mentem ei venerit fonte primario relicto alia testimonia quaerere. Thucydides enim simpliciter et certis verbis asseverat, ad Artaxerxem venisse Themistoclem, ita ut dubitatio ei qui illum solum ante oculos haberet, existere non possit. Sumendum igitur esset, Nepotem in tota hac vita scribenda non unum duosve fontes exscripsisse, uti posuimus, sed plures ubique inter se comparasse, atque diligenter examinantem, quid quisque rettulisset, eum qui summa fide dignus esset secutum esse. Tali laude autem eum dignum non esse, nemo profecto negabit, qui leviter modo hanc The-

mistoclis vitam perlegerit; in qua quam falso et perverse pleraque relata sint, afferre supervacaneum est, cum Nipperdeius haec omnia accuratissime collecta verbis editionis suae adscripserit. Nepotis igitur verbis nihil efficitur nisi, eum non Thucydide, sed alio fonte qui et ipse de huius quaestionis difficultate cogitaverit, usum esse; ad quem vero id magis pertinet, quam ad Ephorum, quem scimus et alios scriptores et monumenta et inscriptiones ad historiam scribendam contulisse et comparasse?

Ceterum quid iudicandum sit de quaestione ista e qua Plutarchi et Nepotis auctoribus tot evenerunt difficultates, de qua ne nostris quidem temporibus convenit inter homines doctos, hoc loco longius exponam non necesse est, postquam homines doctissimi Ernestus Curtius et Arnoldus Schäfer [1]) ita eam solverunt, ut Themistocles in interregno septem mensium, quod intercessisset inter Xerxis finem et Artaxerxis initium, Susa pervenisse putandus sit [2]).

Sed iam ad Plutarchum redeamus, quem inde a v. 14 pag. 250 ad alius generis scriptorem transiisse, ipsius verbis satis dilucide indicatur. Nam quae dicit *οὐ γὰρ πλανώμενος περὶ τὴν Ἀσίαν, ὥς φησι Θεόπομπος, ἀλλ' ἐν Μαγνησίᾳ μὲν οἰκῶν, ... ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀδεῶς διῆγεν, οὐ πάνυ τι τοῖς Ἑλληνικοῖς πράγμασι βασιλέως προσέχοντος κ. τ. λ.* cum eis quae praecedunt nullo sententiarum nexu coniuncta, immo eis opposita sunt. Primum enim quid sibi vult Plutarchi illud: *οὐ γὰρ πλανώμενος?* cuiusnam rei *causa* hoc enunciato adnectitur?. Deinde quo modo Plutarchus dicere potuit: *οὐ*

---

1) Curtius, h. G. II, pag. 730, 63. A. Schäfer, l. l. pag. 5.

2) cfr. Pierson, l. l. pag. 61. — De anno fugae ab illis dissentiunt Krüger, stud. hist. phil. I, pag. 31, Hengstenberg, Christologia II, pag. 542—560, quos sequuntur, Finckius, l. l. pag. 88, Otto, l. l. pag. 33.

γὰρ πλανώμενος περὶ τὴν Ἀσίαν, cum eis ipsis quae proxime praecedunt exposuerit quot varios casus, quot rerum discrima Themistocles cum per varia Asiae oppida proficisceretur expertus sit? Tum qua ratione cum his conveniunt quae dicit: ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀδεῶς διῆγεν? porro quae sequuntur οὐ πάνυ τι τοῖς Ἑλληνικοῖς πράγμασι βασιλέως προσέχοντος, nonne prorsus contraria eis sunt, quae Plutarchus ineunte c. XXX scripsit: καταβαίνοντι δ' αὐτῷ πρὸς τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις ἐπὶ θάλασσαν? Inter se vero omnia (inde a v. 14 p. 250 — fin. cap.) arcte cohaerent, enunciata bene se excipiunt et periodum efficiunt optime absolutam. Itaque dubium esse non potest, quin ex uno fonte omnia fluxerint, qui diversus sit ab eo unde c. XXVI—XXXI desumpta sunt. Addi potest auctorem Plutarchi rerum scriptorem fuisse videri, quia non narratiunculae inanes, uti fit in eis quae praecedunt, sed res gestae, breviter illae quidem sed uti se habuerunt, proferuntur, atque eum quidem scriptorem qui historiam ornamentis rhetoricis exornaverit (cfr. v. 28 sequ.) et de Themistocle benevole iudicaverit. Quare puto Plutarchum ad fontem primarium reversum ex Ephoro, quae de Themistoclis postremis vitae temporibus et morte habet, hausisse. De Thucydide enim cogitari nequit ut qui multo brevior sit, et ne e Theopompo haec fluxisse putemus Plutarchus ipse vetat, qui ideo solum Chium laudat, ut sententiam eius refutet; Nepos contra cum Plutarcho consentit quod et ipse scripsit: „domicilium Magnesiae sibi constituit“. (Plut.: ἐν Μαγνησίᾳ οἰκῶν), neque quisquam, magnam praebere Plutarchum Diodori similitudinem cap. 57, 6. 7 et 58, 1. Themistoclis honores describentis negabit. Putaverunt alii Plutarchum, quae de morte Themistoclis proferret non ex Ephoro sed alio scriptore hausisse; atque Rühlius quidem (p. 28) cum adscripserit locum e Ciceronis Brut. c. XI desumptum: „Ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam quem Thucydides . . . . hunc isti aiunt, cum taurum im-

molasset, excepisse sanguinem patera, et eo poto mortuum concidisse“, dicit: „Daraus ergiebt sich in Verbindung mit Plut. Them. c. 31, dass Plutarch für das Ende des Themistocles einen von beiden ausgeschrieben hat“, et paullo post: „Im Zweifel wird anzunehmen sein, dass Plutarch dem Kleitarchos folgte“. Hoc quidem fieri potuisse non negaverim, verisimile autem mihi nullo modo esse videtur.

Primum enim in dubio relinquendum est, num ullo omnino loco Plutarchus Clitarchi libros inspexerit; duobus locis enim solum (Them. c. 27 et v. Alex. c. 46) eum nominat, sed ita utroque, ut nomen eius cum aliis multis coniunctum legatur, quae ne omnia e scriptorum ipsorum libris Plutarchus desumpserit, non est verendum. A Clitarcho vero narratiunculam istam non primum esse excogitatam, ut quis e Ciceronis illo suo iure colligere posset, sed multo prius in Graecia fuisse cognitam et pervagatam, plane apparet e versibus Aristophanis equit. v. 84 dicentis βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν, ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.

Itaque si re vera Plutarchi illa Ephoro debentur, licet etiam verbis eius uti ad tempus mortis eius accuratius definiendum, et recte Schäfer (l. l. pag. 12) posuisse mihi videtur: „Ego contra cum Lydiato, Dunckero, Curtio Themistoclem circa ol. LXIV. 524 natum esse censeo, mortuum quo tempore Aegyptii ab Atheniensibus adiuti contra Artaxerxem rebellaverant, proximis annis post ol. LXXX. 460“.

Quae denique de genere Themistoclis, de loco quo sepultus sit, de honoribus, quibus post mortem sit elatus cap. XXXII profert Plutarchus, ex alio fonte ei manaverunt. Ipse enim testes nominat Platonem, Andocidem, Phylarchum, Diodorum periegeten, quorum quin Andocidem et Phylarchum non ipse evolverit dubium non est, quia ideo tantum eos affert, ut breviter quid scripserint refutet. Quae autem Diodoro tribuit ita comparata sunt, ut aut apud illum ipsum aut apud Atthidum scriptorum

aliquem ea invenisse putandus sit, „accuratissima est enim loci descriptio, ut oculis stilum auctoris sequi possis, eaque comici insuper, quorum testimoniis omnis haec antiquitatum doctrina apud antiquiores illustrari solebat, loco stabilita. Neque asseverantius suam opinionem posuit, scribebat enim *ὡς ὑπονοῶν μᾶλλον ἢ γιγνώσκων*, quod noli ad descriptionem loci referre, quae satis luculenta est, verum nolebat confidenter de ossibus Themistoclis in Atticam deportatis commemorare, de quibus dubitanter narrat etiam Thuc. I, 138“ [1]). De vita et auctoritate Diodori permulta scripta sunt ab hominibus doctis [2]), nobis vero fontes huius capitis Plutarchei indagantibus maximi momenti est, quod eum non solum de demis Atticis, de monumentis sepulcrorum, de fabulis ritibusque sacris scripsisse constat, sed inquisivisse etiam in stirpes familiarum Atticarum fragmento 4. [3]) e Plut. Cim. cap. 16 desumpto patet. Qua de causa ei tribuere non dubito cum quae initio cap. XXXII accuratissime de genere Themistoclis exposita sunt, tum quae Plutarchus nomine eius adscripto inde a versu 3—15 (pag. 252) tradidit. Reliqua num ex ore Ammonii [4]) magistri omnia audierit an aliunde hauserit pro certo statuere non ausim.

De Nepotis autem capite decimo disputare supersedere possum, quia et Nipperdeius et Rinckius [5]) accuratissime demonstraverunt, eum ex Thucydide *non* hausisse. Itaque cum capitum quae praecedant Ephorum fontem fuisse demonstrasse mihi videar, iure eidem cap. X tribuemus.

Haec fere habui quae de auctoribus Plutarchi, Dio-

---

1) Preller, ad Polon. p. 171.
2) cfr. Müller, f. h. G. II, 353.
3) Müller, l. l. II, 354.
4) de Ammonio vide Westermann, commentatio de Plutarchi vita et scriptis, in editione Bekkeriana I, p. V, annot. 5. Herzberg, Gesch. Griech. u. d. Herrsch. d. Röm. II, p. 161 seq.
5) Nipperdey, l. l. p. 30. — Rinck, l. l. p. LXX seq.

dori, Iustini dissererem, quare hic lubet breviter complecti quae de singulorum capitum fontibus eruisse mihi visus sim.

Plutarchus.

Cap. I. Neanthes.
III. — *Καίτοι δοκεῖ* Theopompus, idem inde a v. 7 p. 222. *Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι.*
IV. Theopompus.
VI. Philochorus.
VII. — *Ἐπεὶ δὲ ταῖς Ἀφεταῖς* Ephorus, inde usque ad finem cap. Neanthes.
VIII. Ephorus; inde a v. 5 p. 227. *Ἔστι δὲ τῆς Εὐβοίας* Philochorus.
IX. Ephorus.
X. Philochorus usque ad v. 13 cap. XI. (p. 230).
XI. Neanthes.
XII. Ephorus.
XIII. Philochorus et Neanthes.
XIV—XVII. Ephorus (initio cap. XV. Philochorus).
XIX—XX. Ephorus.
XXII v. 17. *Τὸν μὲν οὖν ἐξοστρακισμόν* — XXIV, *Ἔνιοι μὲν οὖν.* Ephorus.
XXVI—XXIX. Neanthes.
XXX—XXXI. v. 14. *Οὐ γὰρ πλανώμενος.* Neanthes?
XXXI. Ephorus.
XXXII. Diodorus periegeta, Plutarchus ipse.

Diodorus.

Libro XI. Ephorus.

Iustinus.

Lib. II, cap. X—XII, 12. „Namque Athenienses“. Ephorus.
Cap. XII, 12 — cap. XV. Theopompus.

Nepos.

Cap. I—II. Theopompus.
Cap. III. Ephorus.
Cap. IV—VII. Theopompus.
Cap. VIII—X. Ephorus.